MASTER NEGATIVE NO. 91-80084-28

AUTHOR:

FELLMANN, MAXIMILIAN

TITLE:

DE HOS, HOSTE PARTI-
CULIS

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1833]

Master Negative #

91-80084-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fellmann, Maximilian, 1858-

De ὡς, ὥστε particulis consecutivis earumque apud tragicos Graecorum poetas vi et usu; dissertatio inauguralis philologica quam scripsit... Maximilianus Fellmann... Vratislaviae, typis Grassii, [1883]

80 p. 28 cm.

Thesis, Breslau, 1883.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-1-93 INITIALS M.G.Y

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

DE ὡς, ὥστε PARTICULIS CONSECUTIVIS EARUMQUE APUD TRAGICOS GRAECORUM POETAS VI ET USU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXXIII HORA XI

PUBLICE DEFENDET

MAXIMILIANUS FELLMANN
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

OTTO RACKWITZ, CAND. PHIL.
GUSTAVUS HOFFMANN, CAND. PHIL.
MAXIMILIANUS FICUS, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH.)

HERMANNO SCHMIDT

SACRUM.

Opera Graecorum praestantissima uniuscuiusque aetatis accuratissime perlustrantes animadvertere possumus, quomodo Graeca quidem lingua magis magisque formarum copia crescente rationibusque dicendi maxime variis exortis paullatim ad illam pulchritudinem elegantiamque pervenerit, quam omnes nos, qui in antiquitatis studiis versamur, magnopere admiramur. Quam elegantiam recte intellegemus, si accuratissime, quas leges grammaticas secuti sint scriptores, cognoverimus. Ac fore existimo, ut tum demum illae prorsus planeque cognitae ac perspectae sint, si diligentissime in quaestionem vocatum erit, quod genus quaeque proprietas dicendi unicuique fuerit scriptori. Neque enim veterum neque recentiorum grammaticorum praeceptis in universum datis ullo modo confidere possumus, quippe quae partim non sufficiant, partim haud raro falsa sint.

Quae cum ita sint, mihi proposui quam diligentissime inquirere in leges grammaticas, quas observaverint poetae tragici in enuntiatis consecutivis ab ὥστε, ὥς[1]) incipientibus.

---

[1]) Egerunt de ὥστε (ὥς) particula (exceptis grammaticis):

a. Bäumlein, Untersuchungen über die griech. Modi, Heilbronn, 1846.

b. Aken, die Grundzüge der Lehre vom Tempus und Modus im Griechischen, Rostock, 1861.

c. Wilde, de ὥστε particula commentatio (Gymn. progr. Görlitz, 1861). Wildius praecipue usum Thucydideum observavit.

De ὥστε (ὥς) infinitivo adiecto egerunt, sed rem magis attigerunt quam pertractaverunt:

a. Karstens, de infinitivi usu Aeschyleo, Kiliae, 1877.

b. Hebold, de infinitivi syntaxi Euripidea, Hal. Sax., 1881.

c. P. Viehoff, über die Construction der Pron. οἷος und ὅσος und der Partikel ὥστε mit dem Inf., Emmerich, 1841/42. (Progr.)

De ὥς particula sola eiusque usu Aeschyleo egit:

Naumann, de ὥς particulae apud Aeschylum vi et usu, Lipsiae, 1877.

Sed priusquam ad poetas ipsos tractandos accedam, opus mihi videtur esse disputare

primum: de etymologia particularum ὡς, ὥστε,
deinde: de ὥστε particulae usu comparativo et causali,
tum: de ratione, qua ὥστε, adverbium relativum, in coniunctionis usum abierit ac de constructionibus in enuntiatis consecutivis adhibitis,
denique: de Homeri structuris consecutivis.

Dividitur igitur tota haec disputatio in duas partes, quarum prior est universalis, altera specialis.

Pars prior.

Cap. I.

De etymologia particularum ὡς, ὥστε.

Graecum pronomen relativum ὅ—ς, ἥ, ὅ plane respondet pronomini relativo Sanscritano ja—s, jâ, ja—t—id quod iam certissime constat.

Subest enim communis stirps pronominalis ja amplificatione radicis pronominalis i orta.[1]) Cuius stirpis ja vis ac notio genuina erat demonstrativa,[2]) non relativa.

Unde sequitur, ut etiam illius pronominis relativi notio originaria fuerit demonstrativa, non relativa[3].) Ac relativa notio paullatim demum e demonstrativa exorta est[4].)

[1]) cf. E. Windisch: Ueber den Ursprung des Relativpronomens in den indogermanischen Sprachen (G. Curtius, Studien zur griech. und lat. Gram., 2. Bd., cap. II — p. 250).

[2]) cf. Pott, etymol. Forsch. II, p. 162; G. Curtius, Grundzüge der griech. Etymologie, 4. Aufl. 1873, p. 399.

[3]) cf. Förster, quaest. de attractione enunt. relat. p. 4: „Itaque equidem Graecum ὅς, ut Sanscritanum jas, repetendum esse duco a stirpe pronominis dem. i, quae eadem apparet in Latinorum pronomine is, Slavorum i (Fem. ja), Litavorum jis, significationemque illius proprie non relativam, sed demonstrativam fuisse.“ Ac vis demonstrativa optime elucet e locis Homericis, cf. Z, 59, Φ, 198, Ψ, 9, α, 286, δ, 653 et ex illa iunctura apud sriptores pedestres usitatissima: ἦ δ᾽ ὅς.

[4]) Quomodo hoc factum sit, evidentissime exposuit E. Windisch in egregia illa commentatione modo allata.

Iam ex eo, quod adverbiorum illud — ως plane respondet Sanscritano illi — ât,[1]) in quod exit ablativus Sanscritanus, statim sequitur, ut Graecum ὡς sit forma antiqua ablativi illius pronominis ὅς. Cui ablativo ὡς etiam Sanscritanum ablativum respondere, yâ't — quae est coniunctio Vedica — primus intellexit Kuhnius.[2]) — Ac naturam suscipit adverbii illud ὡς modum ac rationem significantis.[3])

Atque huic ὡς adverbio genuinam notionem demonstrativam fuisse clarissime apparet ex eadem vi genuina pronominis relativi ὅς = jas. Quae res summi est momenti ad originem enuntiationum consecutivarum recte explicandam, ut paullo infra videbimus. — Paullatim — sicut pronomen ὅς — illud ὡς factum est relativum. Ac si habet vim demonstrativam, accentum habet, ὥς[4]) = hoc modo, ita, sic, — sin relativam, eo caret, ὡς = quomodo, qua ratione. Cuius usus relativi innumerabilia fere exstant exempla apud scriptores. Dilucidissimum hoc est Homericum: Ψ, 312 seq.

Ἤρξατο δ᾽ ὡς πρῶτον Κίκονας δάμασ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα
. . . . καὶ ὡς ἀπετίσατο ποινὴν κτέ.

Atque ὥστε quid est aliud nisi illud relativum ὡς particula τέ[5]) addita? Cui particulae, ut iam certissime constat,

[1]) Hoc primus invenit Franciscus Boppius, auctor grammaticae comparativae clarissimus.

[2]) cf. Kuhn, Hoefers Zeitschrift, II, p. 174 seq.; G. Curtius, Grundzüge, 5. Aufl. p. 602.

[3]) cf. Delbrück, Abl., Local., Instrum. im Altindisch., Lat., Griech. u. Deutsch., Berlin, 1867, p. 4: „Die Grundbedeutung des Ablativs ist das apâdâna, von dem aus eine Bewegung anhebt, und zwar ist dieser Grundbegriff bei dem satzverbindenden yâ't und ὡς sowohl zeitlich als logisch gewendet.

cf. G. Curtius, Erläuterungen zur Schulgrammatik, Prag, 1875, p. 195 und 197: Endlich ein Abl. ist ὡς nebst den Correlaten ὥς, οὕτως. Aus dem woher hat sich die modale Bedeutung des Abl. hier so gut wie bei den übrigen Adverbien auf ως entwickelt.

[4]) In carminibus Homericis scripserunt ὥς (oxytonon) Baeumlinus et Dindorfius, ὧς (perispomenon) Beckerus et Ameisius (in altera editione) Veteres grammatici, quos secuti sunt Beckerus (in priore editione), Faesius-Frankius, Kayserus, nisi post οὐδέ et καί, perispomenon non scripserunt.

cf. Lehrs, quaest. ep. p. 63.

[5]) A. Rossbachio, viro illustrissimo, auctore τέ e forma τὰ (τῇ), quae quidem exstat in dialectis, debilitatum est atque casus est instrumentalis, locativus est τοί. Formam τῇ inveniri apud Homerum (ι, 347) notum est.

vis ac notio genuina erat demonstrativa (= da).[1]) Itaque illi ὡς adiecta me quidem iudice nihil aliud spectat, nisi ut animus magis meliusque praeparetur ad sequentia eaque firmius fortiusque significentur. Quae sententia eo magis firmatur, quod eodem modo eodemque consilio τέ vocula enclitica addita invenitur apud Homerum praecipue et apud Herodotum particulis, quales sunt: ἐπεί — cf. Hom. Λ, 87, 562, M, 393, Her. I, 75, 165, 166, 169 — ὅτε — cf. Hom. B, 471, K, 83, 286, M, 279, N, 335, Ξ, 379, 522 — γάρ — cf. Hom. A, 81, B, 481, Ψ, 156, γ, 147, κ, 217 — saepissime pron. rel. ὅς — ὅστε, adv. rel. ἔνθα — ἔνθα τε, — Hom. B, 594, ν, 107, ἵνα — ἵνα τε — Hom. Υ, 478, δ, 85 — atque apud omnes sriptores pronomini οἷος in formulis notissimis οἷός τέ εἰμι et ἐφ' ᾧτε c. inf., quarum formularum de origine paullo infra disseram.

Quibus rebus expositis priusquam ad ὥστε particulam consecutivam transeam, nonnulla de ὥστε particulae usu comparativo et causali praemittam. Quo in usu ὥστε naturam suam genuinam adverbialem bene servavit.

Cap. II.

De ὥστε particula comparativa et causali.

§ 1. Saepissime ὡς particulam adhibitam videmus ad comparationes instituendas. Cuius quidem rei multa exstant exempla apud scriptores, longe plurima apud Homerum. Atque hoc ex usu creberrimo particulae ὡς idem rarior ὥστε particulae usus sine dubio emanavit. Ac si ὥστε particula comparativa usurpatur, sermo vigore atque alacritate crescit. Namque, ut paullo ante exposui, illa vocula τέ enclitica (in vocabulo ὥστε) vim habet demonstrativam.

In Iliade ὥστε[2]) ad comparationem instituendam, ita, ut post ὥστε nullum novum exstet verbum, sed idem verbum, quod est verbum finitum, supplendum sit, usurpatum invenimus his locis:

[1]) cf. Wentzel, Gymn. Progr., Glogau, 1847: „Die Partikel τέ hat ursprünglich eine hinweisende, demonstrative Bedeutung und kann grösstentheils mit unserem hinweisenden da verglichen werden."

[2]) De ὡς particula comparativa fusius disputare nolo. Copiosius de hac re egit: Delbrück, Syntact. Forsch. I, p. 44 seq., 65, 66, 161, 162.

I. Alterum substantivum cum altero comparatur

a. sine additamento longiore: B, 289, Z, 513, K, 154, 297, Λ, 66, 239, N, 437, 564, 654, P, 460, Σ, 539, T, 398, X, 125, Ψ, 366.

b. ac sequitur enuntiatio relativa, in qua exstat modus

α. indicativus: I, 14, M, 433, Π, 3 (= I, 14), P, 674, Υ, 252, Φ, 493, X, 26, 308.

β. coniunctivus: E, 136, Λ, 68, M, 299, O, 630, ubi coniunctivus sine vocali copulativa formatus exstat,[1]) — P, 109, Σ, 308, X, 22.[2])

II. Ac si novum sequitur verbum ita, ut duo existant enuntiata, et relativum et demonstrativo ab adverbio incipiens primarium, verbum illud longe plurimis locis in modo coniunctivo positum videmus. Interdum sequitur sententia relativa, in qua exstat indicativus aut coniunctivus.

Loci sunt hi:

a. Γ, 23, Δ, 433, N, 62, O, 271, 410, P, 434, 747 — quibus locis indicativus post ὥστε legitur.

b. Coniunctivum invenimus his locis: B, 459, 474, Δ, 67, M, 167, 278, 421,[3]) N, 198, 703,[3]) O, 323, 381, 690, Π, 428, 633,[4]) P, 742, 755.

De ὡς particulae comparativae usu Aeschyleo cf. Naumann, p. 14 seq.

De eodem ὡς particulae usu Euripideo cf. Barthold, specimen lexici Euripidei, quo explicatur usus particulae ὡς, Posnaniae, 1869 (progr.). Ceterum hic particulae ὡς usus creberrimus idem est atque particulae ὥστε. Atque ὡς non modo particula comparativa, sed etiam causalis, finalis, temporalis, consecutiva, — qui usus est longe rarissimus — alio modo usurpatur, at ὥστε particula, nisi consecutiva, comparativa, interdum causalis, in usu non est. — Neque illud omittam, quod in codicibus Homericis ὥστε plerumque separatim scribitur, sed non ita raro coniunctim invenitur (ὥς τε et ὥστε). — cf. Kvičăla, Zeitschrift für österr. Gymn., 1864, p. 405.

[1]) Homerus his coniunctivis saepissime usus est; cf. Westphal, method. Gramm. der griech. Sprache, I, 2, p. 226; G. Curtius, das Verb. d. gr. Spr. II, 72; Paech, de vetere coniunctivi Graeci formatione, Vratisl., 1861, p. 5.

[2]) De coniunctivo his in enuntiatis comparativis aut ea excipientibus relativis usurpato cf. Delbrück, S. F. I, p. 44, 85.

[3]) Hoc loco et ipso coniunctivus sine vocali copulativa formatus est, id quod ex enuntiato relativo sequenti, ubi coniunctivus traditur, clare apparet. Tales coniunctivi etiam exstant: N, 703, χ, 402.

[4]) Aristarchus: ὀρώρει, alii ὄρωρεν. Scribendum videtur ὀρώρῃ.

In Odyssea duobus tantum locis novum invenitur verbum post ὥστε particulam comparativam: ν, 81, ubi indicativus et χ, 302, ubi coniunctivus legitur. — In hymni in Cererem v. 174 legitur indicativus.

Reliquis locis substantiva inter sese conferuntur.

I. Nullum sequitur longius additamentum:
α, 308, δ, 45, ζ, 122, η, 84 = δ, 45, ι, 289, 292, κ, 283, ν, 231, χ, 349, ψ, 48 (qui versus pro spurio habetur), ω, 538.

II. Enuntiatio relativa sequitur, in qua exstat
a. indicativus: ζ, 130, χ, 384,
b. coniunctivus: γ, 348 (ubi coniunctivus ἔῃ est supplendus), τ, 109, χ, 402.

III. Participium sequitur (ὥστε = quasi) ϑ, 491, κ, 295 = 322.

Praeterea cf. hymn. in Cererem 43, 68, 89, in Apollinem 8.

Neque omittere velim ὥστε particulam comparativam ita tantum usurpari posse, ut nulla alia particula subsequatur,[1]) velut ὅτε, ὁπότε, vel εἰ, quas particulas post ὡς particulam comparativam saepe inveniri haud ignoramus.[2]) Atque Homerus in enuntiatis, ubi ὥστε particula comparativa utitur, indicativum tantum aut coniunctivum admisit. Ac semper apud eundem poetam enuntiatum ab ὥστε incipiens antecedit.

Ut apud Homerum, ita etiam apud poetas tragicos, quamquam multo rarius, ὥστε particula comparationibus instituendis inservit.

Atque Aeschylus[3]) raro sane utitur ita ὥστε particula. In fabulis enim nobis traditis exstant loci octo, in fragmentis tres.

I. Substantiva inter se conferuntur: Pers. 422, Sept. 62, Ag. 606, 1642, Coeph. 409, Eum. 618, Suppl. 717, Prom. 454, frgm. 54, 310.

---

[1]) At particula (velut ὅτε) subsequitur, si τέ ab ὡς separatum est — cf. Hom. Γ, 33, Δ, 141, Ρ, 61. Sed raro τέ ab ὡς separatum est — cf. Ρ, 133.

[2]) cf. Delbrück, S. F, I, p. 65, 161.

[3]) In locis e fabulis Aeschyleis citandis usus sum Kirchhoffii editione novissima, quae apparuit Berol. 1880. Quod attinet ad fabularum ordinem, eundem secutus sum, quem Kirchhoffius. (cf. Kirchhoffii praef. p. VI). — In fragmentis Aeschyleis et Sophocleis citandis secutus sum Dindorfium, in Euripideis Nauckium. In Sophoclis versibus citandis usus sum editionibus novissimis Schneidewini-Nauckii, in Euripidis Nauckii editione novissimā, quae apparuit Lipsiae, 1881.

II. Novum sequitur verbum: frgm. 30, ubi exstat indicativus.

Saepius apud Sophoclem ὥστε particulam ita usurpatam videmus. In fabulis nobis traditis tales loci nobis occurrunt quattuordecim, in fragmentis quinque.

I. Plerumque substantiva inter se comparantur: Ai. 300, Oed. Col. 343, Ant. 1033, 1084, El. 444, Trach. 367, 530,[1]) 537, 768, 1071, frgm. 49, 217, 762.

II. Novum sequitur verbum, quod positum est in
a. indicativo: Antig. 586, frgm. 421, 783,
b. coniunctivo: Trach. 122,
c. optativo potentiali: Trach. 125, 699.

III. Genetivo absoluto, quem vocamus, praemissa est ὥστε particula comparativa Trach. 703.

Saepissime autem in fabulis Euripideis ὥστε particula comparativa occurrit, sed omnibus in exemplis, quae mihi quidem occurrerunt, uno tantum excepto, Rhes.[2]) 972 seq., novum verbum post ὥστε non invenitur. Interdum participium* sequitur. Loci sunt hi:

Bacch. 748*, 752, 778, 1066*, 1188, Hec. 178, 205, 337, El. 748, Heracl. 423, Herc. Fur. 110, 120 (c. gen. absol.), Hippol. 429, 550, 1221, Iph. Aul. 1082*, Iph. Taur. 359, Med. 523, 1200, 1213, Or. 697, 882, 1520, Rhes. 300, 618, Phoen. 1573, 1712, 1722. In fragmentis exstant loci quinque: frgm. 374, 425, 571, 757, 955.

§ 2. Interdum causalis ὥστε particulae usus nobis occurrit. Qui particulae ὥστε usus et ipse, sicut usus comparativus, emanasse mihi videtur ex eodem usu creberrimo particulae ὡς. Atque in ὥστε tum maiorem vim gravitatemque inesse quam in ὡς e notione demonstrativa illius τέ, quod illi ὡς affixum est, satis apparet. In latina lingua maxime respondet particula: utpote, quam sequitur plerumque qui c. coni., rarius participium.

In Homeri Iliade exstant loci tres: Γ, 381, Σ, 518, Υ, 444 = Γ, 381. Odyssea autem unum tantum locum exhibet: ι, 423.

---

[1]) Hoc loco ὥστε a quibusdam editoribus coniecturā in textum est receptum. Libri praebent: ὥσπερ.

[2]) Haec fabula certissime ab Euripide abiudicanda est.

In fabulis Aeschyleis ὥστε particula causalis invenitur uno tantummodo loco: Agam. 848 ὥστε σύγγονον βροτοῖσιν (scl. ἐστίν).

Apud Sophoclem et Euripidem nullum tale exemplum mihi occurrit.

Matthiaeus[1]) e Sophoclis fabulis huius causalis usus particulae ὥστε tria affert exempla haec: Trach. 122, 699, 703. Sed certe non recte attulit. Nam comparativae, non causalis particulae munus in his exemplis ὥστε suscepit. — Multo magis apud Herodotum hic usus particulae ὥστε viget. Semper autem apud hunc quidem scriptorem tum post ὥστε exstat participium aut genetivus absolutus, quem vocamus. — cf. Her. V, 19, 35, 42, 83, VI, 44, 52, 136, VII, 129, IX, 49.

Cap. III.

Quomodo ὥστε in coniunctionis usum abierit ac de constructionibus in enuntiatis consecutivis adhibitis.

§ 1. In omnibus enuntiatis comparativis ὥστε naturam adverbialem genuinam nondum exuisse clare elucet. Ac si accurate omnes illos locos, ubi post ὥστε novum exstat verbum, inspexerimus, inesse his enuntiatis vim correlativam inveniemus. Respondet enim semper adverbium relativum ὡς, ὥστε adverbio demonstrativo ὥς, οὕτως aut antecedenti aut sequenti.

Nec raro adverbium demonstrativum omittitur apud tragicos poetas, nunquam contra apud Homerum.

Structura autem enuntiationum correlativarum[2]) prope accedit ad naturam omnium enuntiationum genuinam, ex qua olim fuerunt coordinatae. Simplicissimum enim erat genuinum dicendi genus. Altera sententia iuxta alteram coordinate, ut ita dicam, ponebatur. Atque hanc structuram antiquissimam maxime in carminibus Homericis cognoscere possumus, ubi structurae paratacticae, ut ita dicam, multo usitatiores sunt quam hypotacticae. Paullatim

[1]) cf. Matthiae, gr. Synt. § 629, p. 1513.

[2]) cf. Hartung, Lehre von den griech. Partikeln, Erlangen 1833, p. 61. „Die Correlation ist Einklang und Wechselbezug paralleler Sätze.“ — cf. G. Curtius, Erläuterungen, p. 192.

autem, cum desiderium sermonis elegantius subtiliusque fingendi cresceret, sententiae maioris momenti secernebantur a sententiis minoris momenti, quae res etiam in dicendi genere magis magisque eo apparuit, quod exstiterunt enuntiata, quae primariis adnectebantur ac naturā secundaria erant.[1]) Quae subordinatio quo melius existeret clariusque indicaretur, his enuntiatis secundariis particulae praemittebantur ad sensum quam aptissimae. — Sed ut redeat, unde deflexit oratio, enuntiata illa comparativa, de quibus egimus, re vera correlativa sunt, iisque res duae — aut actiones aut status — inter sese conferuntur. Intercedit enim inter eas similitudo quaedam, sive earum causae inter sese sunt similes, sive effectus. Atque ex his enuntiatis comparativis exorta fuisse enuntiata consecutiva ego quidem verisimillimum crediderim. In illis, ut modo dixi, res duae, — aut actiones aut status — quippe quarum aut causae aut effectus inter se similes sint, inter sese comparantur — in his et ipsis comparatio quaedam fit duarum rerum — aut actionum aut statuum. Sed non earum causae aut effectus in comparationem vocantur, sed, cum altera res appareat causa, altera autem consecutio vel effectus ex illa causa enascens, causa cum effectu quasi comparatur. Ut exemplum afferam, legimus in Soph. El. v. 275:

ἣ δ'ὧδε τλήμων, ὥστε τῷ μίαστορι
ξύνεστ' 'Ερινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη.

Illa (scl. Clytaemnestra) tali modo est audax, quali eodem modo cohabitat cum viro piaculari. Modus igitur vel gradus audaciae atque cohabitandi plane inter se respondent. — Quam quidem rem iam recte indicasse mihi videtur Baeumlinus[2]) sic disserens: „Was die Partikeln ὡς und ὥστε betrifft, so stehen sie auch in dem Folgesatz ursprünglich als vergleichende Partikeln, um die Angemessenheit der Ursache zur Wirkung auszudrücken. Die griechische Sprache bediente

[1]) cf. G. Curtius, Erläuterungen, p. 190 seq.; Delbrück, S. F., p. 90 seq.

[2]) cf. Bäumlein, Untersuchungen über die griechischen Modi, Heilbronn, 1846, p. 88, 89.

sich nämlich, um das Causalverhältniss zwischen zwei Handlungen zu bezeichnen, vornehmlich solcher Ausdrucksweisen, die ein Entsprechen, eine Angemessenheit des Einen zum Andern bezeichnen. Demgemäss müssen wir bei ὥστε und ὡς im Folgesatze von der Bedeutung „wie" ausgehen, wodurch Ursache und Wirkung oder Folge in ein gleiches, sich gegenseitig entsprechendes Verhältniss treten."

Nec dubium est, quin etiam ὡς temporale e comparativo ὡς originem duxerit. Tum enim comparatio fit duarum actionum aut duorum statuum de tempore. Atque et hae enuntiationes temporales re vera correlativae sunt, sed praemature adverbium demonstrativum omittebatur. Idem dicendum est de ὡς causali, quod sine dubio et ipsum e comparativo ὡς exortum est. — Sed redeamus ad propositum!

Quid? Nonne maxima similitudo exstat inter illa duo enuntiationum genera? Nonne eandem correlationis vim, quae est in enuntiatis comparativis, etiam in consecutivis animadvertimus? In his enim et ipsis particulae adhibentur οὕτως . . . ὡς (ὥστε) vim correlativam habentes, sed, ut iam antea commemoravi, οὕτως, adverbium demonstrativum, interdum omittitur, id quod in enuntiatis consecutivis saepius fit, quam in comparativis.

Atque, ut in enuntiatis comparativis, ita etiam in consecutivis utraque sententia satis sui est iuris, ut infra paullo cognoscemus.

Haec vero intersunt inter haec duo enuntiatorum genera: In enuntiatis comparativis sententia ab ὡς particula vel ὥστε incipiens plerumque praecedit, at in consecutivis semper sequitur sententiam ab adverbio demonstrativo οὕτως incipientem. Atque in illis sententia ab ὡς (ὥστε) incipiens semper rem affert animo cogitatam ac fictam, in his saepissime rem vere factam. Cumque in illis ὡς multo sit usitatius, in his ὥστε particulae usus longe praevalet. Neque in his ὥς adverbium demonstrativum in usu est, sed οὕτω (ς), interdum ὧδε. Etiam alia vocabula similis notionis, velut τοιοῦτος, τοιόσδε, τοσοῦτος, usurpari possunt.[1])

[1]) cf. Kühner, griech. Gramm., § 76, 3, 3: „Oft wird an Stelle einer der beiden sich entsprechenden Correlativformen eine andere, der Form nach zwar verschiedene, der Bedeutung nach aber verwandte gesetzt."

Quaeramus iam accuratius paullo, quā correlationis viā ὡς (ὥστε) in coniunctionis consecutivae usum abierit.

Genuina enim forma enuntiationum comparativarum me quidem iudice talis erat, ut utraque sententia ab adverbio demonstrativo inciperet: ὥς . . . . . ὥς. Paullatim alterum ὥς debilitatum est, si hoc dicere licet, in relativum ὡς.[1]) Postremo pro ὡς relativo plenior forma ὥστε usurpari poterat et pro ὥς demonstrativo οὕτω (ς).

Plane idem factum credo in enuntiationibus consecutivis.

Originaria igitur earum structura erat haec: ὥς . . . . . ὥς. — Causa igitur et consecutio coordinate fere, altera iuxta alteram ponebatur. Altera structura haec: ὥς . . . . . . ὡς.[2]) Hic illud non praetermittendum videtur, quod in enuntiatis comparativis plerumque illud prius ὥς, quippe quod sententiam vel rem comparativam introduceret, in relativum ὡς debilitatum est, in his semper posterius.[3]) Tertia denique structura eiusmodi est, ut — sicut in enuntiationibus comparativis — pro adverbio relativo ὡς plenior forma ὥστε adhibeatur, et pro ὥς demonstrativo semper fere οὕτω (ς), interdum ὧδε, etiam alia vocabula quantitatem vel qualitatem significantia (velut τοσοῦτος, τοιοῦτος) — ut paullo ante memoravi — usurpari possint. Forma igitur tertia haec:

οὕτως (ὧδε, τοσοῦτος, τοιοῦτος) . . . . . . ὥστε.

Iamque clarius apparet non sine iusta causa τέ additum esse illi ὡς. Nam cum sententia ab ὥστε incipiens maioris esset momenti, illud τέ id spectabat, ut animus magis praepararetur atque attenderetur ad sententiam sequentem.

Iam altero adverbio demonstrativo in relativum debilitato sententia, in qua adverbium demonstrativum invenitur, existit primaria, altera ab ὥστε incipiens secundaria. Cumque illa causam, altera consecutionem vel effectum ex illa causa evadentem significet, addu-

[1]) cf. ad totam hanc disputationem quae disserui in pag. 2 seq.

[2]) cf. G. Curtius, Erläut., p. 191, 192; Delbrück, S. F., p. 98 seq.

[3]) Si illis in enuntiationibus res comparativa sequitur rem comparandam, posterius videlicet ὥς demonstrativum in relativum adverbium debilitatum videmus.

cimur *ad illam dicendi rationem, ex qua alteri sententiae (secundariae) vis insit consecutiva, ita ut vertamus: adeo, ita . . . . . ut* . . Ut unum tantum afferam exemplum, legimus in Aesch. Pers. v. 720 seq.

Δαρεῖος: ὧδε παμπήδην δὲ λαὸς πᾶς κατέφθαρται δορί;
Ἄτοσσα: πρὸς τάδ' ὡς Σούσων μὲν ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει.

„Taline modo prorsus deletus est universus exercitus? Sane, tali modo, quali (eodem modo) tota Susorum urbs se viris esse orbatam queritur i. e. adeo . . . . ut . . . . queratur.“

Ac videmus comparari quasi magnitudinem illius cladis atrocissimae et illius querelae vehementissimae. Respondet enim magnitudo cladis magnitudini doloris. Itaque utraque sententia suum habet pondus suamque vim, quae res iam clarius e forma harum enuntiationum primaria elucet. Quare plane assentior Wildio,[1]) qui de discrimine, quod exstat inter infinitivi et modorum finitorum usum, agens sic disputat: „Cui usui (scl. infinitivi) alter (scl. modorum finitorum) oppositus est, quo *duae sententiae per se ipsae pondus quoddam habentes, cum singulae positae aliquid valiturae sint*, vinculo quasi logico ita inter se a scriptore coniunguntur, ut alteram ex altera causae atque effectus lege exortam esse intellegatur. *In eiusmodi constructione scriptor duas res ante separatim intuetur*, quas conclusione quadam inter se coniungat.“ Ac de discrimine, quod exstat inter infinitivi et modorum finitorum usum, infra paullo (§ 3) accuratius disseram. Quare hic illud omitto.

Atque, quamvis sententia primaria et secundaria, quippe quae sint correlativae, artius paullo cohaereant inter se, tamen *secundariam satis sui iuris esse* optime dilucidissimeque inde intellegere possumus, quod in ea *iidem verbi modi inveniuntur, qui in enuntiatis primariis*. Adhibentur enim ὡς vel ὥστε consecutivo praegresso *indicativus, optativus potentialis, imperativus, perraro denique coniunctivus adhortativus*.[2])

[1]) cf. Wilde, de part. ὥστε, p. 5.

[2]) Coniunctivum, nisi adhortativum, — cf. Plat. Crit. 45 — in enuntiatis consecutivis locum habere non posse e notione huius modi genuina satis elucet. Nam cum coniunctivo voluntas significetur, fieri non potest, ut hic modus in illis enuntiatis usurpetur, quia ratio, quae est inter causam

Ac recte se habere, quod modo exposui, etiam ex hac re luculentissime apparet. Exstant enim loci multi apud omnes scriptores, ubi sententia consecutiva ab ὥστε (ὡς) incipiens prorsus fere solvi possit a sententia primaria, ita, ut sententia consecutiva et ipsa existat primaria. Ac si res ita se habet, ὥστε recognoscere possumus *adverbium relativum*. *Tum enim illud ὥστε causas ante allatas complectitur positumque est, ut sententia subsequens apte adnectatur ad praecedentia*. Ac saepissime tales sententiae legentibus nobis Graecorum scriptores occurrunt *plane seiunctae a primaria sententia*. Itaque magnopere in errore versari cum putaverim, qui modos illos dependere putet a particula ὥστε. Inest enim modo ipsi significatio illa et vis, quae exprimi debet, et particula praemittitur, ut indicetur esse consecutionem sequentia ex antecedentibus. Omnes enim particulae modis sunt adiunctae vi intensiva, ut ita dicam, velut praepositiones accusativo vel dativo additae. — Ac si enuntiatum consecutivum plane solutum videmus a sententia primaria, optime aptissimeque illud ὥστε, quippe quod causas ante allatas complectatur, sic vertemus: „*itaque, igitur, daher, deshalb, in Folge davon, unter solchen Umständen*.“ Ac tum demonstrativum adverbium semper omitti elucet. Nam correlationis vis plane desinit.

Quid, quod ὥστε etiam ita usurpatur, ut sententiam interrogativam introducat? Nonne tum iterum dilucidissime adverbium relativum existit causas ante allatas complectens? cf. Dem. c. Aphob. de falsa leg. § 47 ὥστε πόθεν ἴσασιν; Thuc. VI, 18, 1 ὥστε τί ἂν λέγοντες εἰκὸς ἢ αὐτοὶ ἀποκνοῖμεν κτέ. — Similiter ab ἐπεί, ὡς (= nam) particulis incipere potest enuntiatio interrogativa — cf. Soph. Oed. Col. 970 ἐπεὶ δίδαξον, εἴ τι κτέ., Trach. 139 ἐπεὶ τίς ὧδε τέκνοισι Ζῆν' ἄβουλον εἶδεν; — Haec fuit de hac quaestione sententia mea.

§ 2. *Quomodo fieri potuit, ut ὥστε (ὡς) particula etiam infinitivo adderetur?*

et effectum vel consecutionem, a voluntate subiecti dependere non potest. — Optativum autem merum plerumque per assimilationem modorum adhibitum esse e dissertatione sequenti, si de structuris Euripideis agam, elucebit.

Quae res facillime me quidem iudice explanari potest ac praecipue memoratu digna videtur.

Sed priusquam ad hanc rem ipsam accuratius illustrandam accedamus, nonnulla de infinitivi natura praemittere opus mihi videtur esse.

a. De infinitivi enim natura inter viros doctos per longum tempus dissensio fuit maxima atque acerrima. Alii verbo, alii nomini eum esse tribuendum iudicabant. Quae controversia vehementissima prorsus planeque composita est inventione illa praestantissima atque elegantissima Francisci Boppii[1]) viri illius de hac re optime meriti, qua iam certissime constat infinitivum esse exortum ex obliterato casu substantivi alicuius abstractae notionis. Est igitur nomini tribuendus. Qua ex natura infinitivi substantiva genuina statim sequitur, ut re vera de enuntiatione consecutiva, si ὥστε (ὡς) cum infinitivo coniunctum reperiamus, sermo esse non possit. Ille enim est membrum quoddam sententiae primariae modumque ac rationem significat eorum, quae ante exponuntur, cui rei indicandae particula illa inservit. — Sed quinam casus ille fuit, ex quo infinitivus exortus est? De hac re disputantes viri docti in duas digrediuntur partes. Alii enim velut Curtius,[2]) Schleicherus,[3]) Schoemannus,[4]) eum locativum, alii, velut Boppius,[5]) Leo Meyerus,[6]) Delbrueckius,[7]) dativum esse contendunt. Quod quoquo modo se habet, quod attinet ad enuntiata consecutiva, utrum dativum an locativum eum ducas, nihil interest. Nam consilii finisque notionem et locativo et dativo inesse posse infra paullo accuratius intellegemus. — Est igitur infinitivus Graecus nomen actionis, quod in casu dativo vel locativo obtorpuit.

---

[1]) cf. Bopp, vergleichd. Gramm., § 882 ff.; — G. Curtius, Erläuterungen, p. 198; — Wilhelm, de infinitivi linguarum Sanscritae, Bactricae, Persicae, Graecae, Oscae, Umbricae, Latinae, Goticae forma et usu, Isenaci, 1872.

[2]) cf. G. Curtius, de nominum formatione, p. 58; Erläuterungen, p. 199.

[3]) cf. Schleicher, Compend. d. vergl. Gramm., p. 335.

[4]) cf. Schömann, Redetheile, p. 66.

[5]) cf. Bopp, vergl. Gramm. III, p. 323 seq.

[6]) L. Meyer, d. Inf. d. hom. Sprache, Göttingen, 1856.

[7]) B. Delbrück in Kuhns Zeitschr. XVIII, p. 81.

Ac locis permultis, ubi infinitivum ὥστε (ὡς) particula socia legimus, genuina eius natura evidentissime elucet.

b. Neque vero hanc naturam genuinam substantivam ubique servavit infinitivus. Propius enim quam omnia alia substantiva ad verbi naturam accessit — id quod inde cognoscere possumus, quod et genera (activum, passivum, medium) et tempora actionis diversa (praesens, futurum, perfectum, aoristus) in eo distincta sunt. Quin etiam natura eius genuina adeo est obscurata ac fere exstincta, ut, quamvis nomen actionis sentiretur, quasi orbatus genuina natura casuali, idoneus fieret, quod pro verbo finito usurpari posset. Unde sequitur, ut infinitivo iidem casus regi possint, qui verbo finito. Atque ille infinitivi usus prolixus adeo progressus est, ut ipsi novum subiectum — si est aliud atque sententiae primariae — coniungi posset, quod ille casu accusativo asciscit. Sed qui fit, ut accusativum reperiamus? Exspectamusne potius genetivum, cum infinitivus sit nomen substantivum? Non ita. Accusativus enim ille genuine tantummodo ponebatur, si verbum finitum erat transitivum; ac tum accusativus non subiecti, sed obiecti locum obtinebat pendebatque non ab infinitivo, sed a verbo finito sententiae primariae. Sic ille accusativus exortus est, quem in structura accusativi cum infinitivo, quae vocatur, cum infinitivo coniunctum videmus.[1]) Iamque analogiae vi et consuetudine ille accusativus etiam tum ponebatur, si verbum finitum erat intransitivum vel passivum — ita, ut ille prorsus dependere non posset a verbo finito — quam quidem rem in infinitivo particula (ὡς) ὥστε socia dilucidissime animadvertere possumus. Atque quam prope ad verbi naturam accesserit infinitivus, etiam inde liquet, quod cum ἄν particula iungi potest.

c. Postremo iterum in substantivi notionem et usum, unde profectus erat, rediit. Invenitur enim etiam et subiecti et obiecti partes agens. — Omnia, quae de infinitivi natura dixi, nequaquam praetermittere mihi licuit propterea, quod summi momenti sunt ad enuntiata consecutiva recte tractanda, id quod plurimos viros doctos, qui de his enuntiatis egerunt, plane fere fugit.

---

[1]) cf. Rost, griech. Gramm., Göttingen, 1856, p. 699 Erl.; — Delbrück, de infinitivo Graeco, Halis Saxon., 1863, p. 25—30.

Accedamus iamiam ad illam quaestionem, quomodo fieri potuerit, ut infinitivo ὥστε (ὡς) adiungeretur.

Quaestionibus a viris doctis, qui studiis grammaticae comparativae vacarunt, accuratissime institutis constat casu locativo significari et locum, ubi quid fiat, et locum, quo quid directum sit. Qui locativi usus iam amplius latiusque profertur. Huius enim casus natura non solum est localis, sed etiam ita usurpatur, ut finem indicet, ad quem res vel actio aliqua directa sit. Unde conicere licet casum locativum et dativum inter sese contingere. Namque dativi vim ac notionem genuinam esse commodi atque utilitatis, ad quam quis animum summo studio attendat, notissimum est; atque hac ex natura dativi notio finalis statim derivari potest.[1]

Itaque hos duos casus hoc in usu, alterum cum altero, quasi confluxisse crediderim. Cumque, ut paullo ante iam explicavi, infinitivus naturā dativus vel locativus sit, infinitivi usus finalis iam dilucidissime elucet. Creberrimus autem hic usus infinitivi exstat in carminibus Homericis.

Sed quaerat forsitan quispiam, quomodo fieri potuerit, ut infinitivus non solum consilium, sed etiam consecutionem exprimere posset. Qua de re optime Baeumlinus[2]) disseruit ita: „Der griechischen Sprache war es von der ältesten Zeit an bis in die späteste eigen irgend einer Handlung den Infinitiv beizugeben, um das Ziel, Zweck, Bestimmung, Erfolg, Absicht der Handlung zu bezeichnen. Die älteste Vorstellungsweise nämlich, wie wir nicht nur am Hebräischen, sondern auch am Lateinischen ut c. coni. sehen, hat den Unterschied zwischen Erfolg und Absicht noch nicht gezogen. So lagen in dem griechischen Infinitiv beiderlei Verhältnisse ungeschieden in einander."

---

[1]) cf. Thuc. I, 123, 1, VI, 33, 2 — quos locos attuli propterea, quod dativus merus substantivorum clare vim ac notionem finalem prae se fert. — Etiam in latina lingua dativum eodem modo adhibitum videmus eumque praecipue coniunctum cum verbis: tribuere, dare, vertere, habere. Atque hac in lingua hic dativi usus solus exstat, quo hic casus cognatus est locativo.

[2]) cf. Bäumlein, Untersuchungen, p. 338.

Ac vim consecutivam infinitivo inesse posse ex eius natura clare elucet. Dativo enim casu significari possunt etiam ea, quae aliis rebus efficiuntur, ex aliis consequuntur.[1]) cf. Hom. Z, 463, X, 223, β, 60.

Etiam apud tragicos poetas tales occurrunt loci, cf. Aesch. Ag. 461, Soph. Ant. 292, Eurip. El. 940, Hipp. 346, 1096, Or. 1356, 1572, Heracl. 296.

Atque haec dativi notio consecutiva et illa finalis — quae, ut vidimus, etiam locativi propria est — optime apparet potissimum ex iis infinitivis, qui saepissime inveniuntur post pronomina et adiectiva, qualitatem vel quantitatem significantia, velut: τοῖος, τοιοῦτος, οἷος, τόσος, τοσοῦτος, ὅσος, τηλίκος, ἡλίκος, ἀγαθός, δεινός, ἐπιτήδειος, ἱκανός, ἕτοιμος, alia.[2])

Cuius structurae historiam — quod attinet ad illa pronomina — ut quam brevissime complectar, primum iungebatur, ut mihi quidem videtur, pronomen demonstrativum solum cum infinitivo, cf. Hom. β, 60, γ, 205, η, 309, ρ, 20, tum pronomen demonstrativum et relativum, cf. Hom. φ, 173 — Soph. Oed. R. 1296, ibid. 1184, Plat. Charm. p. 156, B, Xen. Mem. II, 1, 15, Cyrop. V, 2, 4 — postremo etiam relativum pronomen solum coniungi poterat cum infinitivo, cf. Hom. β, 59, 272, ξ, 491 (οἷος), ε, 483 (ὅσσος).[3]) Atque ea ipsa structura post Homeri tempora est usitatissima, (cf. Plat. Prot. p. 252, c, Theaet. 195, A, Res publ. I, p. 334, D, Xen. An. IV, 1, 5, Mem. I, 4, 6, Hell. II, 3, 45) praecipue in formula illa notissima ac frequentissima οἷός τέ εἰμι c. inf. Quae formula, quomodo exorta sit, iam satis elucet. Plena enim forma erat haec: τοιοῦτός εἰμι, οἷός τε. Ac τέ vocula enclitica vim habet demonstrativam (cf. p. 4). Eodem modo formula ἐφ' ᾧτε c. inf.

---

[1]) cf. J. Jolly, Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen, p. 220.

[2]) cf. G. Curtius, griech. Gramm., Prag, 1880, p. 323 § 562.

[3]) Uberius de talibus iuncturis egit Viehoffius, p. 1—5. — Sed saepius erravit Viehoffius in sua commentatione. Ut exemplum afferam, in pag. 5 exeunte sic disserit: „Nam ut relativum οἷος e pronomine factum est adiectivum, ita ὥστε, cui propria vis erat coniunctionis, naturam suscepit adverbii." Falsissime! Vice versa! Naturā enim ὥστε erat adverbium relativum — ut supra vidimus — ac postea demum naturam suscepit coniunctionis.

— quae apud scriptores solutae orationis saepe occurrit — exorta est e pleniore forma: ἐπὶ τούτῳ, ἐφ' ᾧ τε — qua in formula τέ iterum vim habet demonstrativam. — Iam vero eodem modo eademque viā factum esse ego certissimum duco, ut etiam ὥστε (ὡς) = οὕτως ὥστε (ὡς) cum infinitivo coniungi posset. Atque ὥστε, naturā adverbium relativum, modum ac rationem significare iam supra satis exposuisse mihi videor.

Infinitivus igitur cum ὥστε coniunctus genuine vim habet et finalem et consecutivam. Atque ita natura eius genuina substantiva clarissime apparet. Paullatim autem provinciam suam amplificavit, quippe qui non modo pro verbo finito usurpari — ac tum ὥστε certe coniunctio est accipienda — sed etiam et subiecti et obiecti locum obtinere posset. — Ac vis consecutiva initio inerat in infinitivo, non in ὥστε, id quod inde sequitur, quod infinitivus merus ὥστε non addito consecutionem exprimere poterat. Paullatim autem factum est, ut infinitivus merus non sufficeret, sed tota iunctura ὥστε c. inf. necessaria videretur ad consecutionem significandam.

§ 3. Quaerenti iam, quid intersit inter modorum finitorum et infinitivi usum, haec respondenda mihi videntur:

a. Si modos finitos usurpatos videmus, sententiae duae, ut iam supra satis explicasse mihi videor,[1] quarum utraque pondus suum suamque vim habet, particulā illā ὥστε (ὡς) ita inter sese coniunguntur, ut altera ex altera emanasse videatur, cui rei indicandae particula illa inservit.

Rectissime illud dictum esse facile intelleges, si alteram sententiam ab altera prorsus secreveris. Ut exemplum afferam, legimus in Soph. Ai. v. 668:

ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον

quo in exemplo verba posteriora ὥσθ' ὑπεικτέον facillime a prioribus ἄρχοντές εἰσιν seiungi posse sine ullo sensus damno apparet; cf. O. R. 409, O. C. 305, El. 1204. Quid? Nonne saepissime sententiam alteram ab altera re vera seiunctam videmus? Difficilius sane erit alteram ab altera seiungere, si praecesserit adverbium vel pronomen demonstrativum. Tum enim correlationis vi sententiae firmius artiusque inter se cohaerent; cf. Trach 252. Nihilominus etiam tales sententias, alteram ab altera secernere poteris, si adverbium illud vel pronomen demonstrativum omiseris. — Ac sententia maioris momenti posita est in enuntiato consecutivo, non in primario.[1]

[1]) cf. p. 12 seq.

b. At, si infinitivum cum ὡς, ὥστε coniunctum perspicimus, sententia altera cum altera artissime coniuncta est — id quod e natura infinitivi genuina clare apparet, cum sit pars et membrum quoddam sententiae primariae, non sententia per se ipsa valens. Explicat autem infinitivus plerumque sententiam antecedentem, haud raro vocabula tantum singula — quod recte intellexit Wildius.

Neque aliam, atque ego, sententiam amplectitur Akenius[2]) haec proferens:

„ὥστε mit dem Inf. ist nur nähere Bestimmung des Hauptsatzes als des Hauptgedankens. Dagegen c. mod. fin. wird eine selbstständige Behauptung gebracht, die Hauptgedanke ist, wie der Hauptsatz, nur relativ angeknüpft, so dass die Erzählung weiter geführt wird."

Quae cum ita sint, si infinitivo ὥστε, ὡς adiectum videmus sententia maioris momenti plerumque posita est in enuntiato primario, non in infinitivo.[3])

Hoc unum interest, ut mihi quidem videtur, inter modorum finitorum et infinitivi constructionem.

Ac sententias alias a grammaticis allatas non plane rectas esse iamiam accuratius explicabo.

Maxime enim errarunt sine dubio plerique, quod nimium statuerunt discrimen. Cuius rei ut exempla afferam, Kochius (griech. Gramm., Leipzig, 1879, p. 269, § 113) docet haec: „Enthält der Folgesatz eine Thatsache, welche als Folge der im Hauptsatze enthaltenen Handlung wirklich eintritt, so steht der Indicativ." — Buttmannus (griech. Gramm., Berlin, 1869, p. 444): „In der Bedeutung „so dass" wird ὥστε mit dem Indicativ aller

[1]) cf. Rost, griech. Gramm., Göttingen, 1856, ed. VII, 649, a.
[2]) cf. Aken, Grundzüge, cp. 24, II.
[3]) cf. Rost, p. 649, b.

Tempora verbunden, wenn es sich mit „und so“ vertauschen lässt, überhaupt aber, wenn der Erfolg nicht als beabsichtigter, sondern als factisch vorhandener dargestellt wird.“ Similiter disputat Kruegerus (griech. Sprachlehre für Schulen, Leipzig, 1875, p. 273). — Kuehnerus sic disserit: Der Indicativ steht, wenn die Folge oder Wirkung als eine reelle, factische, in der Wirklichkeit gegebene, jedoch nicht nothwendige und unmittelbare bezeichnet werden soll. Der Infinitiv dagegen steht, wenn die Folge als eine blos gedachte, aus dem vorhergehenden nothwendig und unmittelbar sich entwickelt hat. — Madwigio (Syntax der att. Sprache, p. 178) plane eadem est sententia, quae Kuehnero.

Ac primum quidem tantum abest, ut indicativo semper res vere facta proferatur, ut haud ita raro res animo tantum cogitata nobis ante oculos ponatur — cf. Soph. Phil. 75:

ὥστ᾽, εἴ με τόξων ἐγκρατὴς αἰσθήσεται,
ὄλωλα καί σε προσδιαφθερῶ ξυνών.

Quo loco rem mente tantum cogitatam proferri quis est, qui neget? cf. Soph. Trach. 445, 943, alios locos.

Atque inspicienti mihi diligentius paullo talia exempla, hoc satis constare videtur: De re cogitata semper agitur, si ὥστε particula enuntiatum conditionale asseritur ad enuntiatum antecedens, ac si verbum, quod illud ὥστε sequitur, in futuro tempore positum est — cf. Soph. O. R. 135, 409, El. 1204. Longum est enumerare exempla eiusmodi plura, cum permulta exstent apud scriptores. Atque etiam infinitivo rem vere factam significari posse e permultis exemplis dilucide cognoscere possumus — cf. Aesch. Pers. 244, 506, Soph. Ai. 1189, El. 780, Trach. 175, alia exempla.

Illud grammaticorum praeceptum non esse rectum iam Wildius (de ὥστε part. p. 6) intellexit.

Nec minus falsum est illud: „Der Indic. steht, wenn die Folge als eine nicht nothwendige und unmittelbare bezeichnet werden soll, der Inf., wenn sie aus dem vorhergehenden sich nothwendig und unmittelbar entwickelt hat.“

Rectissime iam Baeumlinus [1]) falsam esse hanc sententiam sensit. Disputat enim hic vir doctissimus ita: Es ist nicht einzusehen, warum beim Indic. der Zusammenhang zwischen Ursache und Wirkung nicht auch als ein nothwendiger sollte erscheinen können. Atque affert exempla haec: Aesch. adv. Tim. § 84 ἀλλ᾽ οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖ τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν — Xen. Cyr. I, 4, 3; I, 4, 5. Quibus locis, si velis, consecutionem necessariam vocari posse facile intellegas. Equidem affero e poetis tragicis exempla illi grammaticorum legi repugnantia haec: Soph. Ai. 668, O. R. 409, El. 1204, Trach. 575, Eur. Alc. 404.

[1]) cf. Bäumlein, Untersuchungen, p. 87, 88.

Tum pergit Baeumlinus (p. 88) ita atque optimo me quidem iudice iure: „Hinwiederum ist der Inf. nicht immer von nothwendigem und unmittelbarem Zusammenhang zu verstehen. So zeigt Xen. Mem. III, 12, 6 καὶ λήθη δὲ καὶ ἀθυμία καὶ δυσκολία καὶ μανία πολλάκις πολλοῖς διὰ τὴν διάνοιαν ἐμπίπτουσιν, οὕτως, ὥστε καὶ ἐπιστήμας ἐκβάλλειν schon das steigende καί, dass diese Folge nicht nothwendig und unmittelbar mit der λήθη verbunden sein soll.“ Ex tragicis poetis addo haec exempla: Aesch. Ag. 271, Prom. 317, Soph. O. C. 1624, El. 1407, Eurip. Hec. 341, Or. 1122. Itaque et hoc praeceptum falsum videtur.

Sed haec hactenus! Iam satis superque explicasse mihi videor grammaticorum praecepta laborare erroribus vitiisque. Illud autem, quod attuli, discrimen, quod est unum, nemo fere e grammaticis vidit.

Quae cum ita sint, optimum duco neglectis omnibus grammaticorum praeceptis novā viā quaestionem instituere.

Sed priusquam ad poetas ipsos accuratius tractandos accedamus, pauca quidem de usu particularum ὡς et ὥστε ac de negationis particulis in enuntiatis consecutivis adhibitis dicenda mihi videntur.

Exortis enim enuntiatis consecutivis ὡς particulam consecutivam non ita raro in usu fuisse credo. Quin etiam illud ὡς prius in usu fuisse quam ὥστε, ut in enuntiatis comparativis, ita in consecutivis e structura horum enuntiatorum originaria apparet, quam supra intelleximus (cf. p. 11). Atque sententia mea eo magis fulcitur firmaturque, quod apud Aeschylum satis saepe illud ὡς nobis occurrit, ut infra paullo videbimus.

Neque Herodotus hunc particulae ὡς usum sprevit — cf. Herod. II, 28, 135, III, 120, 146, IV, 184, VIII, 99.

Paullatim autem ab hoc particulae ὡς usu abstinebant scriptores, et ὡς enuntiatis finalibus praecipue atque causalibus attributum est, ὥστε consecutivis remansit. Quod recte se habere ex operibus illorum scriptorum, qui Aeschyli aetatem secuti sunt, clare apparet. Namque iam apud Sophoclem illud ὡς multo rarius quam apud Aeschylum usurpatum videmus.

Atque Euripides perpaucis quidem locis ὡς particula consecutiva usus est.

Scriptores autem Attici solutae orationis prorsus fere hoc usu particulae ὡς abstinuerunt, Xenophonte excepto, cuius in scriptis interdum illud ὡς exstat — cf. Xen. An. III, 5, 7, Hell. V, 4, 22, Cyr. I, 2, 8, I, 5, 11, VI, 4, 17, VIII, 7, 27.

Neque ullum esse discrimen inter ὡς et ὥστε particularum consecutivarum usum satis constat. Nam ὡς, ut ὥστε, sine ullo notionis discrimine et cum modo finito coniungitur et cum infinitivo; cf. Aesch. Pers. 721, Ag. 528, 553, Soph. Trach. 590, Aesch. Pers. 435, 509, Ag. 524, 1335, Eum. 36, 423, Soph. Ant. 304.

Quod attinet ad negationis particulas in enuntiatis consecutivis ab ὡς, ὥστε particulis incipientibus adhibitas, μή particula inservit infinitivo, imperativo, coniunctivo adhortativo, οὐ indicativo, sive ei ἄν additur, sive non additur, optativo potentiali, infinitivo, si negatio ad unum tantum vocabulum, non ad totam sententiam pertinet. Quibus de negationis particulis copiosius egit Rostius (gr. Gramm. p. 753, c).

Quae exempla praecipue memoratu digna videntur, ea, suo quodque loco, accuratius tractabo.

Iamiam omnibus rebus, quae ante exponendae memoriaeque tradendae erant, instructi paratique, ut dissertatio sequens via ac ratione procedere recteque intellegi possit, ad poetas ipsos accedamus atque, ut erat propositum, agamus

Cap. IV.

De Homeri structuris consecutivis.

Apud Homerum non solum particulae ὡς, sed etiam ὥστε vim et comparativam et causalem inesse posse in capite altero (p. 4 seq.) satis exposuisse mihi videor.

Rarissime autem vis ac notio consecutiva illis particulis videtur inesse.

§ 1. Ac primum quidem de ὡς particula mihi dicendum est.

Exstant loci, perpauci quidem, ubi ὡς haud inepte pro particula consecutiva ac vix aliter accipi possit. Quibus in exemplis semper modus finitus verbi sequitur — infinitivum nullo loco cum ὡς coniunctum videmus. Atque consecutionem exstare his locis concedendum nobis erit. Sed Homerum, quippe qui enuntiata consecutiva, — qualia postea re vera exstiterunt, — plane ignoraret, illud ὡς pro coniunctione consecutiva accepisse equidem sine ulla dubitatione negaverim. Ac recte se habere rem his locis dubiis credo, si ὥς (cum accentu) scripserimus.

Sic enim Homerus consecutionem saepius expressit — cf. E, 204, β, 110, γ, 184, δ, 93, ι, 306, ω, 93. Atque optime haec dicendi ratio cum simplicitate dictionis Homericae congruit. Consecutio enim coordinate additur ad sententiam antecedentem.[1])

Sed proferamus exempla ipsa: Hom. β, 136

νέμεσις δέ μοι ἐξ ἀνθρώπων
ἔσσεται· ὥς οὐ τοῦτον ἐγώ ποτε μῦθον ἐνίψω.

Antinous Telemacho imperaverat, ut matrem, quippe quae procos iam per tres annos fefellisset neque cuiquam nubere vellet, domo emitteret ad patrem Icarium, qui eam in matrimonium daret viro alicui, quem et ipse et illa vellet. Isti vero Telemachus respondet: Nequaquam esse fas matrem a filio domo emitti invitam, sive pater adhuc vivat, sive iam mortuus sit. Difficile autem fore sibi multas res Icario rependere, si ipse matrem sua sponte dimittat. Multa autem a patre iam vivente mala sese experturum, multa alia deum missurum, cum mater a Furiis ultionem precatura sit; ipsum autem omnibus hominibus odio summo esse futurum.

Iamque sequuntur, de quibus agitur, verba: ὥς οὐ τοῦτον ἐγώ ποτε μῦθον ἐνίψω. Itaque talem vocem nunquam emittam (scl. ut mater domo egrediatur).

---

[1]) cf. Nitzsch, erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee, 1. Bd., p. 90, 91.

Quae verba consecutionem eorum, quae antea exposita erant, sine dubio continent. Quare, cum particulae consecutivae ὡς usus ab Homero abiudicandus sit, cum plerisque editoribus — Wolfius et Dindorfius scribunt ὡς — scribi malim hoc loco ὥς (cum accentu).[1])

Aliter res se habet hoc loco:

ο, 536 αἲ γὰρ τοῦτο, ξεῖνε, ἔπος τετελεσμένον εἴη,
τῷ κε τάχα γνοίης φιλότητά τε πολλά τε δῶρα
ἐξ' ἐμεῦ, ὡς ἄν τίς σε συναπτόμενος μακαρίζοι.

Eadem leguntur verba: ρ, 165, τ, 311. Quibus locis si nihil aliud nisi consecutio statui posset, certe et his locis scribendum esset ὥς. Nihil vero obstat, quin ὡς accipiamus particulam finalem — quae explicandi ratio facillima mihi videtur.

Idem fere, quod de illo Odysseae loco (β, 137) dixi, dicendum videtur de hoc loco ex Iliade sumpto:

I, 444 ὥς ἂν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκος, οὐκ ἐθέλοιμι
λείπεσθ', οὐδ' εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτὸς κτέ.

Agamemnon, — ut loci argumentum quam brevissime afferam — Phoenicem, Aiacem, Telamonis filium, Ulixem ad Achillem miserat ei persuasuros, ut ira tandem desisteret. Cumque Achilles mandatis repudiatis sese domum esse revecturum dixisset, Phoenix magno dolore oppressus illi respondet, se sine illo amplius vivere non posse, se ipsum a patre illius esse iussum illi semper et dicto et facto adesse. Itaque fieri non posse, ut ab illo seiungatur.

Lehrsius[2]) hoc loco scribi vult ὥς (cum accentu); eique plane assentior eam ob causam, quam paullo ante attuli ad β, 137.

Atque causas, cur Phoenix hanc pronuntiet sententiam, exhibent vv. 438—443. — Huc etiam pertinet Φ, 291.

Reliquis autem locis similiter dubiis (velut I, 118, 342, O, 493, Π, 749, Τ, 290, ε 448) ὡς particulae aut comparativae aut finalis partes agere mihi quidem persuasum est.

§ 2. Atque ὥστε particulam Homerus adhibuit quattuor tantummodo locis, quorum duobus exstat indicativus, duobus infinitivus.

[1]) cf. Lehrs, de Aristarchi studiis Homericis, Lipsiae, 1865, p. 159.
[2]) cf. Lehrs, p. 159.

a. Indicativum legimus

α, 227 ὥστε μοι ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως δοκέουσιν
δαίνυσθαι κατὰ δῶμα.
γ, 246 τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν
ὥστε μοι ἀθάνατος ἰνδάλλεται εἰσοράασθαι.

His locis ὥστε ab Homero particulam non consecutivam, sed comparativam usurpatam esse plerique editores indicarunt mihique verisimillimum videtur. Itaque ὥστε cum ὑβρίζοντες et ἀθάνατος coniungendum existimo.[1]) Ac tum enuntiationes ab ὥστε incipientes ἀσυνδέτως, ut ita dicam, positae sunt — id quod non ita raro apud Homerum fit.

b. Infinitivo ὥστε adiunctum videmus

I, 42 εἰ δέ σοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται ὥστε νέεσθαι, ἔρχεο·
ρ, 21 οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖσι μένειν ἔτι τηλίκος εἰμὶ
ὥστ' ἐπιτειλαμένῳ σημάντορι πάντα πιθέσθαι.

Quorum locorum primo ὥστε omitti posse sine ullo sensus incommodo docet hic locus:

Ρ, 463, ὅτε σεύαιτο διώκειν, ubi simplex verbum σεύεσθαι cum infinitivo mero coniunctum est. Infinitivi illi νέεσθαι et πιθέσθαι et consilium et consecutionem e natura sua genuina substantiva significant.[2]) — cf. p. 16 seq.

Nec raro tales infinitivi ὥστε particula non socia occurrunt.

Atque altero loco ὥστε pro ἡλίκος adhibitum atque cum πιθέσθαι, illud autem τηλίκος cum μένειν coniungendum videtur. — Lehrsius[3]) utroque loco ὥστε e textu emovere voluit putans, cum duobus tantum his locis Homericis ὥστε cum infinitivo coniunctum exstaret, Homero usum consecutivum particulae ὥστε ignotum fuisse. Itaque illo Iliadis loco pro ὥστε νέεσθαι scribendum ἀπονέεσθαι, — ac Nauckius hanc coniecturam recepit in editione, quae apparuit Berolini, 1877 — versum autem illum Odysseae subditicium esse iudicavit. — Ne ego quidem Homero usum particulae ὥστε consecutivum notum fuisse contendere ausim. Sed verba illa me quidem iudice e textu emovenda non sunt. His enim locis illud ὥστε quid est aliud nisi adverbium relativum,

[1]) cf. Lehrs, p. 158, Crusius, adn. a. h. l.
[2]) Apud Hesiodum et ipsum duobus locis ὥστε adhibitum est idque cum infinitivo, cui utroque loco vis est finalis et consecutiva. — cf. Hes. op. 44, Theog. 831.
[3]) cf. Lehrs, p. 157 und 158.

quod modum ac rationem indicat eorum, quae antea dicta sunt? Quid? Nonne altero loco ὥστε pro ἡλίκος adhibitum videmus? Nonne, ut supra docui, a talibus vocabulis, qualia sunt τοῖος, τοιοῦτος, τόσος, τηλίκος, οἷος, ὅσος, alia, infinitivus cum ὥστε iunctus originem duxit? Itaque, cum exempla illa genuinam fere huius structurae formam nobis praebeant, assentior Classeno,[1]) Kruegero, aliis putantibus hunc particulae usum Homericum initium esse usus posterioris prolixioris.

Nec tum versio nostra: „so dass“ satis accurata mihi videtur, quam eandem sententiam amplectitur Akenius disserens: „Die deutsche Uebersetzung beim Infinitiv ist eigentlich ungenau, weil damit eine Behauptung gebracht wird, die nur den mod. fin. zukommt.“ Quare in nostra quidem lingua illud ὥστε talibus locis, cum accurate eademque vi, quae in Graecorum lingua ei insit, vertere non possimus, non vertemus.

Cum infinitivo ὥστε coniunctum videmus etiam in hymni in Cererem v. 352.

§ 3. Quoniam Homero ὥστε particulae usum consecutivum ignotum fuisse perspeximus, quaerat forsitan quispiam, quomodo poeta ille praestantissimus enuntiata consecutiva, in quibus postero quidem tempore ὥστε (ὡς) adhibitum videmus, compensaverit.

Atque perlustranti mihi accuratius paullo carmina Homerica tria praecipue dicendi genera exstare videbantur, quorum est:

I. primum illud, ubi Homerus enuntiationes coordinate, ut ita dicam, alteram alteri adiungit. Ac saepe tum utitur particulis consecutiva vi instructis, velut:

ἄρα (ἄρ, ῥα, ῥ') cf. A, 292, Δ, 501; cf. Rost, gr. Gramm., p. 745, § 134, b, Anm. 6, G. Curtius, Schulgr., § 637.

Saepe hanc quidem particulam apud Homerum iunctam videmus cum pronominibus vel adverbiis demonstrativis (τοῖος, ὥς, ἔνθα, τῷ). Altera particula est οὖν, quae semper cum altera coniungitur particula — cf. α, 414. Tertia est τοιγάρ — cf. α, 179.

Atque ἄρα et οὖν (τοιγάρ apud scriptores solutae orationis non exstat) non solum apud Homerum vim habent consecutivam,

[1]) cf. Classen, Annal. phil., 1859, p. 302, 303.

sed etiam apud tragicos poetas (cf. Soph. Oed. R. 141, 244), denique apud omnes Graecorum scriptores non raro utraque particula invenitur hoc sensu. Accedunt ad illas particulas apud scriptores pedestres hae: τοιγαροῦν, τοιγάρτοι, τοίνυν — cf. Rost, p. 748, bb, cc.

Huc accedunt apud Homerum:

a. τῷ = ideo, itaque; cf. B, 250, 255, 354, Δ, 410, E, 129, 410, 894, β, 281, ϑ, 548, λ, 441, π, 121, ρ, 569, τ, 81, alios locos. Longum est enumerare exempla omnia, cum permulta exstent.

b. τοὔνεκα = propterea; cf. A, 96, Δ 477, E, 342, 822, Λ, 23, γ, 15, 50, 92, δ, 322, ο, 269.

c. ὥς, cf. E, 204, β, 110, γ, 184, δ, 93, ι, 306, ω, 93.

II. Alterum genus est illud, ubi Homerus, raro sane, utitur enuntiationibus relativis consecutivis:

H, 231 ἡμεῖς δ' εἰμὲν τοῖοι, οἳ ἂν σέθεν ἀντιάσαιμεν,
καὶ πόλεες — O, 736, P, 640, X, 348.

Qui usus etiam apud tragicos poetas invenitur neque umquam evanuit — cf- Soph. Ant. 220

οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος, ὃς θανεῖν ἐρᾷ.

cf. O. C. 309, Trach. 1001, Eurip. Alc. 197, Xen. Cyr. III, 3, 50, alia exempla. cf. Rost, p. 654, 6.

III. Tertia denique ratio est talis, ut infinitivus merus ipse consecutionem exprimat; cf. Z, 463, X, 223, β, 60. Eiusmodi exempla exstant apud Homerum permulta. Etiam apud Herodotum hic usus valde viget.

Ne apud tragicos quidem poetas plane evanuit, ut iam intelleximus (cf. p. 17).

Haec habui, quae dicerem de structuris consecutivis Homericis.

Atque inde ab Homeri temporibus enuntiationes consecutivae ab ὡς, ὥστε incipientes magis magisque in usum vocatae sunt, ita tamen, ut infinitivi structuris multo maior tribueretur provincia ab omnibus Graecorum scriptoribus, quos classicos vocamus, quam modorum finitorum.

Pars altera.

Absoluta hac quaestione accedamus iamiam ad poetas tragicos, quorum structuras ita pertractabo, ut chronologico ordine utar. Itaque primum usum particulae ὥστε (ὡς) consecutivum Aeschyleum, deinde Sophocleum, tum Euripideum tractabo. Atque, ut via ac ratione procedat disputatio nostra, primum de iis structuris, in quibus modis verbi finitis, deinde de iis, in quibus infinitivo ὥστε (ὡς) additum videmus, verba faciam. Atque infinitivi structuras ita pertractabo, ut primum agam de iis exemplis, in quibus infinitivi natura genuina substantiva clare elucet, tum de iis, ubi pro verbo finito usurpatus videtur, post de iis, ubi aut subiecti aut obiecti munere fungi videtur.

Primum igitur, qualis apud Aeschylum usus ὥστε, ὡς particularum fuerit, videamus.

Cap. I.

De ὡς, ὥστε particularum usu Aeschyleo.

Perlustrantibus nobis accuratius paullo diligentiusque Aeschyli opera mirum sane videtur cum praegressa particula ὡς vel ὥστε modorum finitorum usu plane fere abstinuisse. Nam de quinquaginta duobus locis, qui mihi occurrerunt, tres tantummodo modum finitum, indicativum, exhibent. Ac si quis dicat modorum finitorum usum abhorrere a poetarum tragicorum dicendi genere, magnopere in errore versari mihi videtur. Namque et Sophocles et Euripides exempla praebent satis multa, ubi ὥστε particulam modis finitis additam videmus. Sed infinitivi usum etiam apud hos poetas, ut apud omnes Graecorum scriptores, praevalere concedendum nobis est. Neque illud praetermittendum mihi videtur, quod Aeschylus his tribus locis, ubi indicativus exstat, ὡς particula sola, non ὥστε usus est.

Ceterum, ut iam dixi (cf. p. 21 seq.), apud Aeschylum ὡς particulae consecutivae usus valde viget. Occurrunt enim in fabulis nobis traditis, — in fragmentis nullum tale exstat exemplum — viginti sex loci hanc quidem particulam praebentes.

Atque in infinitivi structuris ὡς et ὥστε promiscue adhibuit poeta.

Sed accedamus ad singula!

I. Indicativo ὡς particula addita est.

Tres tantum loci exstant, ut modo dixi, ubi Aeschylus ὡς cum indicativo coniunxit. Neque locum ullum invenies, ubi optativus potentialis vel imperativus exstet.

Ac primus quidem locus, quem iam supra attuli de enuntiatorum consecutivorum origine agens, legitur in

Pers. fab. v. 720 seq.

Δαρ. ὧδε παμπήδην δὲ λαὸς πᾶς κατέφθαρται δορί;
Ἄτ. πρὸς τάδ' ὡς Σούσων μὲν ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει.

Hic ὡς esse particulam consecutivam luculentissime elucet e sententia, quae antecedit, ubi adverbium demonstrativum ὧδε scriptum videmus. Quae res clarius apparebit, si suppleverimus, quae ad sensum opus sunt. Tota enim ac plena sententia haec: ὧδε κατέφθαρται λαὸς πᾶς, ὡς . . . . στένει. Ac de re vere facta referre Atossam reginam elucet. Nam profecto maxima atque atrocissima fuit illa Persarum clades, quam pugna Salaminia acceperunt. Itaque totam urbem Susorum summo dolore summoque maerore oppressam fuisse consentaneum erat.

Alter locus hic est: Ag. 527

Κῆρυξ: Καὶ πῶς; ἀπόντων κοιράνων ἔτρεις τινάς;
Χόρος: ὡς[1]) νῦν τὸ σὸν δὴ καὶ θανεῖν πολλὴ χάρις·

Ad verba πολλὴ χάρις subintellegendum esse ἐστίν apparet. Sensus autem loci hic:

Nuntius ab Agamemnone missus summo affectus gaudio Troiam esse captam regemque Agamemnonem victorem splendidum redire narrat. Quo nuntio gavisus chorus Argivorum senum: Salve, praeco, qui ab Achivorum exercitu missus es! Tum praeco: Recte dicis: Salve! Neque enim amplius, ne moriar, deis ego contradicam — Gaudio igitur reditus mortem spernit. Paucis versibus post praeconi quaerenti, quamobrem sollicitudine oppressi fuerint senes domino absente, num timuerint quempiam, respondent senes — ut totum loci afferam sensum — „In timore sane fuimus (scl. ob. Clytaemnestrae et Aegisthi consuetudinem nefariam). At nunc quidem, postquam Troia capta regem nostrum Agamemnonem victorem redire audivimus, non amplius in timore versamur, sed gaudio potius tanto incensi

[1]) Libri ὧν, recte primus scripsit Scaliger: ὡς.

sumus, ut illud tuum: „mori“ etiam nobis longe sit gratissimum. — Recurrit igitur chorus ad eandem sententiam, quam antea (v. 517) nuntius protulerat.

Videmus autem inter versum 527 et 528 subintellegendam esse sententiam: In timore sane fuimus etc. Quam sententiam poeta optimo iure omittere potuit, cum fama de Agamemnone unicuique spectatori notissima esset. — Atque optime aptissimeque praeco iam pergit (v. 529): εὖ γὰρ πέπρακται. Sane, recte dicis te nunc libenter mori velle. Omnia enim bene peracta sunt. — Quibus rebus expositis ὡς hoc loco particulam consecutivam esse elucet.

Tertius denique locus exstat in eiusdem fabulae v. 553 ac verbis non multis post illa verba, de quibus modo disserui, invenitur:

ὡς κομπάσαι τῷδ᾽ εἰκὸς ἡλίου φάει,
ὑπὲρ θαλάσσης καὶ χθονὸς ποτωμένοις·

Quo loco ad εἰκός mente supplendum est: ἐστίν, quae copula saepissime post εἰκός omittitur.[1]) — Nuntius ille accuratius iam de magnis illis calamitatibus laboribusque narrat, quos subierint Graeci apud Troiam. Tum autem exclamat gaudens nihil referre tot ac tam graves enumerare labores, cum ipse adhuc vivat. Ac sibi ipsis, qui sociis multis superstites fuerint, exsuperare hoc lucrum (scl. se fuisse superstites, cuius rei gaudium iam antea (v. 549 seq.) maiore vi ac pondere expresserat), quod lucrum non aequo sit pondere atque calamitas. Itaque (scl. cum ipsi in vita remanserint) aequum esse se hoc solis lumine hoc gloriari, postquam super terram mareque aufugerint: Troia capta Argivorum classis haec spolia affixit etc. etc.

Atque hoc loco ὡς optime sic vertemus: itaque, igitur, daher“.[2])

Hi tres loci soli sunt in fabulis Aeschyleis, ubi ὡς particula consecutiva cum indicativo coniuncta exstat. Liceat hic adnotare exempla prorsus falsa uno tantum excepto a Karstensio[3]) esse allata.

[1]) cf. G. Curtius, griech. Schulgramm., p. 207, 6, b.

[2]) Plane eodem modo, ut postea vidi, G. Hermannus hunc locum interpretatus est — cf. adn. Hermanni ad Ag. 554, p. 416 (Tom. II ed. Aesch. trag., Lipsiae, 1852). Reicit enim Blomfieldi coniecturam ποτώμενοι sic. Non gloriae pars est, quod mare terramque superarunt, sed felix sors eorum, qui non ceciderunt in bello. „Itaque nos, inquit, qui per mare, per terras incolumes reversi sumus, gloriari aequum est, quod capta tandem urbe diis spolia suspendimus.“

[3]) cf. Karstens p. 21.

Unus vero locus, quem recte attulit, ille est, quem legimus in Pers. v. 721.[1])

Omnibus autem aliis locis ὡς particulae vis consecutiva nequaquam inest me quidem iudice. Quod ut comprobem, exempla ipsa, quae falso attulit Karstensius, in medium proferam. Ac primum quidem exemplum exstat in Pers. v. 717

ὡς ἰδεῖν τέλος πάρεστιν, οἷον ἤνυσεν κακόν·

Ex versu, qui antecedit —

φεῦ, μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.

„Vae! Magnus in eum venit deus, ut non bene saperet“ — facillimum est cognoscere ὡς particulae hoc loco vim non consecutivam, sed restringentem inesse. Atossa enim Dareo respondet: Sane, magnus in eum venit deus etc. — quantum quidem intellegi potest ex eventu.

Atque optime sententia mea congruit cum scholiastae adnotatione, quam affert Schillerus in editione sua, (quae apparuit Berolini, 1869) ὡς ἰδεῖν knüpft der Scholiast an ein ergänztes „ναὶ μέγας“. — Eadem vis restringens inest in ὡς Coeph., 973.

Alter locus hic est:

Ag. 38 τὰ δ᾽ ἄλλα σιγῶ κτέ . . . .
. . . . ὡς ἑκὼν ἐγὼ
μαθοῦσιν αὐδῶ κοὐ μαθοῦσι λήθομαι.

Ne hoc quidem loco ὡς particula existit consecutiva, sed potius causalis = nam. Atque haec quidem verba initio huius fabulae legimus. Custos domus dicit taedarum splendore sibi esse nuntiatum Troiam esse captam. Quapropter magnopere gaudens exclamat: „Utinam mihi contingat, ut manum domini mei reversi cum mea hac manu coniunctam videam! Sed reliqua (scl. calamitates domesticas) reticeo duabus de causis, quarum est altera: Metu poenae imminentis lingua est mihi astricta — altera: peritis libenter loquor, imperitis et ipse imperitus videri soleo.

Tertius locus exstat in Prom. v. 156

εἰ γὰρ μ᾽ ὑπὸ γῆν . . . . ἧκεν, ...
ὡς μήποτε θεὸς μήτε τις ἄλλος[2])
τοῖσδ᾽ ἐπεγήθει.

[1]) Karstensius ex Dindorfii editione versus citavit, ego vero, ut iam memoravi, Kirchhoffii usus sum editione novissima. Unde fit, ut versuum ordo in Karstensii dissertatione alius sit atque in mea.

[2]) Cod. Med. praebet: μήτε τις ἄνος, quod correctum est in ἄλλος. Kirchhoffius ἄλλος recepit, quod mihi non displicet, cum hoc modo codicis

Hoc loco me quidem iudice ὡς partes agit particulae non consecutivae, sed finalis. Atque indicativo ἐπεγήθει [1]) uti debuit poeta per assimilationem modorum, [2]) cum praecederent verba: εἰ γὰρ . . . ἧκεν. Neque aliter Wecklinius illud ὡς accepit. Attulit enim exempla similia haec: Prom. 749, Coeph. 195. Huc ego addo haec Sophoclea:

O. R. 1386, 1391 τί μ' οὐ λαβὼν
ἔκτεινας εὐθύς, ως ἔδειξα μήποτε
ἐμαυτὸν ἀνθρώποισιν ἔνθεν ἠ γεγώς;

El. 1134 ὡς ὤφελον . . . ἐκλιπεῖν βίον . . . . ὅπως . . . . ἔκεισο.

Quorum locorum altero illud ipsum ὡς adhibitum | est, quod illo loco, de quo agitur. Quibus ex exemplis sequitur, ut sententia illa ὡς . . . ἐπεγήθει sit finalis, non consecutiva. — Ac mihi quidem Karstensius exempla illa, quae Wellauer et ipse falso protulit in lexico Aeschyleo, non satis accurate inspexisse ac sine ulla dubitatione videtur exscripsisse. Unum tantum exemplum, quod Wellauer falso protulit (Ag. 306)[3]) Karstensius recte reiecit. Illis autem locis, quos tractavi, (Ag. 527 et 551) ὡς esse particulam consecutivam Karstensium plane fugit. Sed haec hactenus!

II. Infinitivo ὥστε (ὡς) particula additur.

A. Natura infinitivi genuina substantiva clare existit.

§ 1. Iam supra (p. 16—18) infinitivo e natura eius genuina significari posse et consilium et consecutionem satis explicasse mihi videor. Atque apud Homerum infinitivum merum tali notione permultis exstare locis commemoravi. Sed non solum apud

---

lectio minime mutetur. Nimis autem audacter Dindorfius genuinam mutavit lectionem scribens: ὡς μήτε θεῶν μήτε τις ἀνδρῶν. Wecklinius Dindorfii emendatione usus scripsit: ὡς μήποτε θεὸς μήτε τις ἀνδρῶν. Sine dubio illud ἄλλος hoc loco est longe simplicissimum.

[1]) Elmsleius et Cobetus: ἐγεγήθει. Ego cum Kirchhoffio ἐπεγήθει — quod praebet cod. Med. — praeferendum puto.

[2]) cf. G. Curtius, Schulgramm. § 532, b; § 558, b. — Rost, griech. Gramm. p. 656, c und 660, c.

[3]) Hoc loco ὡς in οὓς recte emendavit Bothius; — quam coniecturam plerique editores receperunt. — Ibid. v. 97 cum Schneidewino et Kirchhoffio lectionem: τούτων λέξασ' ὅτι praeferendam putaverim.

Homerum, sed etiam apud tragicos poetas hic infinitivi usus non ita raro invenitur[1]) — cf. Pers. 248

τοῦδε γὰρ δράμημα φωτὸς Περσικὸν πρέπει μαθεῖν
καὶ φέρει σαφές τι πρᾶγος ἐσθλὸν ἢ κακὸν μαθεῖν.

Quo loco infinitivus μαθεῖν in utroque versu et consilium et consecutionem significat. Scholiastes autem hoc adnotat: „λείπει ὥστε“. Praeterea cf. Suppl. 685, Soph. Ai. 786, El. 664.

Nec raro talibus infinitivis ὥστε (ὡς) praemittunt poetae tragici.

Atque, ut ad singula veniam exempla, clarissime evidentissimeque infinitivi vim et finalem et consecutivam, ita, ut finalis vis praevaleat, perspicere possumus ex illis exemplis, quae quasi certae formulae exstare videntur:

Pers. 705 διαπεπόρθηται τὰ Περσῶν πράγμαθ', ὡς εἰπεῖν ἔπος.

Ag. 1554

Ἀτρεὺς γὰρ ἄρχων τῆσδε γῆς, τούτου πατήρ,
πατέρα Θυέστην τὸν ἐμόν, ὡς τορῶς φράσαι,
αὑτοῦ δ' ἀδελφόν, ἀμφίλεκτος ὢν κράτει,
ἠνδρηλάτησεν ἐκ πόλεώς τε καὶ δόμων.

Quibus locis addo hos tres locos:

Eum. 526 δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος, ὡς ἐτύμως.

Prom. 46 τί νιν στυγεῖς; πόνων γὰρ ὡς ἁπλῷ λόγῳ
τῶν νῦν παρόντων οὐδὲν αἰτία τέχνη.

ib. 974 ἁπλῷ λόγῳ τοὺς πάντας ἐχθαίρω θεούς κτέ.

Semper tales locutiones, quales sunt illae ὡς ἔπος εἰπεῖν, aliae, interpositae sunt inter alia verba, quae necessario modo ad sententiam totam pertinent. Sunt igitur quasi per parenthesin dictae. Ac nos quidem in nostra lingua tales locos ita plerumque vertimus, quasi nulla alia, nisi finalis notio illis verbis insit: „um den starken Ausdruck zu gebrauchen [2]) (= ὡς εἰπεῖν ἔπος), um es deutlich, genau, einfach zu sagen!“ (= ὡς τορῶς, ἁπλῷ λόγῳ εἰπεῖν). In latina autem lingua et consilii et consecutionis vis optime elucet: ut ita, accurate, breviter dicam, ut hoc verbo gravi utar.

---

[1]) cf. Karstens p. 18, 19, 32.

[2]) Quadecausa sic verterim, paullo infra cognoscemus.

Cave vero his locis adnumeres talem, qualis exstat in Prom. v. 609

λέξω τορῶς σοι πᾶν, ὅπερ χρῄζεις μαθεῖν,
οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ', ἀλλ' ἁπλῷ λόγῳ
ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα.

Hic verba: ἀλλ' ἁπλῷ λόγῳ cum verbo finito λέξω coniungenda esse apparet.

Illum autem infinitivi usum omnes Graecorum scriptores longius latiusque diffuderunt. Reperiuntur enim exempla, ubi cum consecutiva, tum finalis infinitivi notio prorsus fere exstincta et infinitivus adverbialiter, ut ita dicam, usurpatus eademque vi videatur esse, quam habet accusativus liberiore modo positus, quem accusativum Graecum vel respectivum vocant grammatici.[1] Ac tales infinitivi proxime accedere mihi videntur ad locativi naturam, ita, ut locutiones, velut ὡς δοκεῖν, vertere possimus: im Bereiche des Scheinens — id quod recte animadvertit Heilmannus.[2] Apud Aeschylum unum tantum eiusmodi exemplum mihi occurrit: Pers. 246 ἐμοὶ δοκεῖν, ubi ὡς est omissum ac vertimus: wie es mir scheint, meines Bedünkens.

Saepissime autem haec verba ὡς δοκέειν ἐμοί, ὡς εἰκάσαι, δοκέειν ἐμοί in Herodoti libris scripta videmus — cf. Her. I, 34, 131, II, 42, 124, III, 135, IV, 87, 167, V, 58, 67, VI, 30, 95, VII, 3, 173, 229, VIII, 22, 30, 66, IX, 32, 34, 113.

Ac talibus in locutionibns magnam dicendi varietatem fuisse videmus. Omitti enim poterat non solum ὡς (cf. Aesch. Pers. 246), sed etiam infinitivus (cf. Eum. 526, Prom. 46). Quin etiam et ὡς omitti poterat et infinitivus (cf. Prom. 974). Rarissime autem hoc factum est. — Neque illud praetermittendum videtur, quod omnes Graecorum scriptores talibus in formulis conformandis hanc sibimet imposuerunt legem, ut semper ὡς particulā uterentur. — Atque illis locis, quos attuli, aoristi infinitivo usus est Aeschylus, εἰπεῖν, φράσαι — id quod in illis ipsis verbis dicendi factum est ab omnibus scriptoribus; cf. Eur. Heracl. 167, Hipp. 1162, Herod. II, 15, 37, 53, 134, III, 6,

[1]) cf. G. Curtius, Schulgr., p. 324, § 564.
J. Jolly, Inf. im Indog., p. 220.
Delbrueck, de infinitivo Graeco, p. 224.

[2]) Heilmann, de infinitivi syntaxi Herodotea, Giessen, 1878, p. 3.

VIII, 115. Ne unus quidem exstat locus, ubi praesentis infinitivus λέγειν vel φράζειν adhibitus sit. Itaque Ag. 832 τέτρωται δικτύου πλέω λέγειν infinitivus λέγειν cum πλέω est iungendus, ut recte intellexerunt Engerus, Schneidewinus, Karstensius. — Alia exempla, ubi infinitivo vis finalis et consecutiva inest, attulit Rostius.[1]) Talia sunt: ὡς ἐν κεφαλαίῳ, — συνελόντι — συντόμως εἰπεῖν, alia. Eiusmodi exempla apud scriptores pedestres sunt usitatissima. Ac vis consecutiva praevalet his in locutionibus: ὀλίγου, μικροῦ, πολλοῦ δεῖν, ita, ut haud multum absit, i. e. fere, paene. Adeoque ille usus progressus est, ut pro ὡς articulus infinitivo praemitteretur, ita, ut hic infinitivus cum articulo iunctus existat accusativus respectivus vel Graecus, quem vocamus — τὸ ἐπ' ἐμοὶ εἶναι, τὸ κατὰ τοῦτο εἶναι.

Matthiaeus has locutiones per ellipsin esse explicandas putavit. Vult enim suppleri ἔστιν vel πάρεστιν, nisus hoc exemplo: Coeph. 973 ὡς ἐπεικάσαι πάρεστιν. — Quod esse falsissimum apparet.

Atque, ut hanc rem hoc loco statim absolvam, affero iam exempla, quae mihi occurrerunt in fabulis Sophocleis et Euripideis: Soph. O. R., 82 εἰκάσαι (ubi ὡς est omissum ac nos vertimus: „vermutlich"), O. C. 16, ὡς ἐπεικάσαι = Trach. 141, ibid. 1220, ὡς γ' ἐπεικάζειν ἐμέ (ut ego quidem conicio), El. 410 δοκεῖν ἐμοί. In fabulis Euripideis nunquam ὡς omissum videmus, cf. Alc. 801, Bacch. 1078, Herc. Fur. 713, Heracl. 167 = Hippol. 1162, Or. 1298, frgm. 1117, v. 63.

Non recte intellexisse videtur tales structuras Karstensius.[2]) Disputat enim de iis ita: „Apud Homerum nullum etiamnunc exemplum invenitur, cum aetate posteriore saepissime occurrat, inprimis apud scriptores prosae orationis. Quadecausa hunc usum pro vetere habere atque ex principali infinitivi natura deducere non cogimur, sed similitudinem recentiorum locutionum in comparationem vocare licet." Quam Karstensii opinionem tantum abest ut probem, ut eam falsissimam esse iudicem.

Quid? Num infinitivi natura genuina, ex qua est dativus vel locativus substantivi, finem consecutionemque significaturus, ex ullo exemplo melius clariusque intellegi potest quam ex illis ipsis exemplis: ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὡς τορῶς φράσαι, aliis similibus?

[1]) cf. Rost, Griech. Gramm., p. 653.

[2]) cf. Karstens, p. 15.

Nonne igitur e principali infinitivi natura talem dicendi rationem deducere cogimur? Mihi quidem nihil verisimilius videtur quam conicere hoc ab infinitivi usu profectum esse illum longius latiusque prolatum, ex quo infinitivus adverbialiter poni potuit, velut in his exemplis: ἐμοὶ δοκεῖν, ὡς ἐπεικάσαι. Sed ne in talibus quidem exemplis vis infinitivi genuina plane est exstincta; nam tum, ut iam commemoravi, infinitivus naturam locativi prae se fert. Nec mirum illud, quod Homerus talibus locutionibus non usus est. Nonne ab epico dicendi genere tales locutiones prorsus abhorrent? Atque apud Aeschylum structura primaria praevalet, ubi infinitivo vis et finalis et consecutiva inest — in uno enim tantum exemplo (Pers. 246) infinitivum adverbialiter usurpatum vidimus. Apud Sophoclem, ut vidimus, altera structura sola exstat, apud Euripidem eadem praevalet.

Nec plane mihi probanda videtur sententia Heboldii[1]) sic disserentis: „Quibus in exemplis ita usurpatus est (scl. infinitivus), ut parenthesin efficeret, qua vis antecedentium verborum aliquatenus leniretur.“ Equidem vim verborum antecedentium semper leniri infirmarique negem nisus exemplis, qualia sunt illa: ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὡς τορῶς, ἐτύμως φράσαι, quibus verbis vis antecedentium verborum certe non lenitur, immo vero firmatur augeturque.

Quod quo dilucidius appareat, inspiciatur accuratius paullo sententia tota, velut illo loco e Pers. v. 705 desumpto, a me iam prolato. Atossa enim regina summo dolore perculsa Dareo ingentem Persarum cladem nuntiat his verbis: διαπεπόρθηται τὰ Περσῶν πράγμαθ', ὡς εἰπεῖν ἔπος. Deletae sunt Persarum opes, ut gravi verbo dicam.

Ac dicendi brevitate verborumque gravitate magnitudinem calamitatis atrocissimae regina depingere vult, id quod iam e versu, qui antecedit, elucet: πάντα γὰρ Δαρεῖ 'ἀκούσει μῦθον ἐν βραχεῖ χρόνῳ.[2]) Itaque rectissime aptissimeque Curtius[3]) illa verba vertisse mihi videtur ita: „um diesen starken Ausdruck

[1]) cf. Hebold, p. 18.
[2]) χρόνῳ, non λόγῳ legendum cum Kirchhoffio crediderim.
[3]) cf. G. Curtius, Schulgr., p. 324, § 564.

zu gebrauchen.“ Similiter Schillerus[1]) vertit: „um es mit einem starken Worte grade heraus zu sagen.“

Quam protuli sententiam, eam recte sese habere ex aliis quoque locis, velut ex his Euripideis clare cognoscere possumus:

Hippol. 1162: Ἱππόλυτος οὐκέτ' ἔστιν, ὡς εἰπεῖν ἔπος — Heracl. 167.

Sed in exemplis, velut ὡς δοκεῖν, ὡς ἐπεικάσαι, verborum antecedentium vim restringi quodammodo infirmarique concedo.

§ 2. Sequuntur tres loci, ubi infinitivo cum ὥστε (ὡς) coniuncto vim et finalem et consecutivam inesse haud difficile est cognoscere:

Pers. 713 μηχαναῖς ἔζευξεν Ἕλλης πόρθμον, ὥστ' ἔχειν πόρον. — ibid. 716 φεῦ, μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.

Ag. 642 seq.

τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν θέλουσ' ἐφέζετο,
ὡς μήτ' ἐν ὅρμῳ κύματος ζάλην ἔχειν,
μήτ' ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα.

Quorum locorum primo et altero exstat praesentis infinitivus post aoristi indicativum. Si poeta rem tempore praeterito vere factam referre voluisset, aoristi infinitivo usus esset, — quem in narratione rerum vere factarum locum suum habere postea videbimus. Illo autem priore loco consilium ac voluntas Xerxis referuntur ac praesentis infinitivus notionem genuinam optime servavit. Rex enim Hellespontum operibus iunxit, ut per totum bellum, quamdiu gereretur, viam haberet transeundi. Etiam altero loco res durans significatur. Quid autem intersit inter infinitivum aoristi et praesentis, Curtius[2]) his docet verbis: „Die aoristischen Formen bezeichnen mehr eine einzelne, als Punkt aufgefasste Thatsache, die präsentischen einen Zustand, oft einen länger anhaltenden.“ Itaque non mirum, quod tertio loco et praesentis et aoristi infinitivus adhibitus est. Legimus enim hoc loco: Fortuna salutifera propitia navem insedit, ut ea neque in statione undarum turbine obrueretur — id quod per longius tempus fieri poterat — neque scopulosae orae impingeretur — id quod semel tantum fieri potuit.

[1]) cf. Schilleri adnot. a. h. l. (ed. Berolini, 1869.)
[2]) cf. G. Curtius, Schulgr. p. 279, Anm., Erläut. p. 184 seq.

Aliis locis aoristi infinitivum legimus post praesentis indicativum vel perfectum praesens, velut οἶδα, πέπυσμαι, vel optativum potentialem — cf.

Ag. 610 οὐκ οἶδεν οὐδείς, ὥστ᾽ ἐπαγγεῖλαι τορῶς·

Coeph. 513 ἦ καὶ πέπυσθε τοὔναρ, ὥστ᾽ ὀρθῶς φράσαι;

ibib. 840 Τί τῶνδ᾽ ἂν εἴποις, ὥστε δηλῶσαι φρενί;

ibid. 872 Καὶ μάλ᾽ ἡβῶντος δὲ δεῖ,
οὐχ ὥστ᾽ ἀρῆξαι διαπεπραγμένῳ·[1]) τί γάρ;

His locis aoristi infinitivus significare mihi videtur rem incipientem, id quod nos dicimus: den Eintritt der Handlung.

„Nemo scit, ut statim accurate nuntiet. — „Somniumne etiam comperistis, ut statim id recte narretis?“ — Horum quid dicas, ut statim mihi indicare possis?“ — Ac viro valde robusto opus est, non ut statim opem ferat interempto! Quid enim? Nuntius enim nuntiaverat Aegisthi mortem iamque maxime timet, ne etiam domina (Clytaemnestra) ferro occidatur. Quare quam celerrime eam esse servandam dicit his verbis:

ἀλλ᾽ ἀνοίξατε,
ὅπως τάχιστα καὶ γυναικαίους πύλας
μοχλοῖς χαλᾶτε

et illis, quae sequuntur locum, quem modo tractamus:

Ποῖ Κλυταιμνήστρα; τί δρᾷ κτέ.

In nostra lingua aut finalis infinitivi vis aut consecutiva enitet: Keiner weiss es, um es genau zu melden — so dass er es genau melden könnte. — Eines kräftigen Mannes bedarf es, nicht um dem Toten beizusteln. Was nützte das? Quae versio hoc loco praeferenda videtur, cum altera: „so dass er beistehen sollte“ multo languidior sit ineptiorque.

Ac similiter dicta sunt verba illa: ὡς τορῶς ἐπαγγεῖλαι, ὥστ᾽ ὀρθῶς φράσαι atque illa, de quibus antea egi: ὡς τορῶς φράσαι (Ag. 1555). Attamen discrimen exstat. Nam haec verba (Ag. 1555) prorsus fere ab antecedentibus soluta ac per parenthesin, ut ita dicam, dicta sunt, cum illa cum verbis antecedentibus artissime cohaereant.

Pauca iam disputabo de hoc loco:

[1]) ὥστ᾽ recte hoc loco emendavit Porsonus e librorum lectione ὡς δ᾽. Porro cod. Med. praebet διαπεπραγμένων, quod recte mutavit in διαπεπραγμένῳ Turnebus.

Sept. 355 Καὶ μὴν ἄναξ ὅδ᾽ αὐτός, Οἰδίπου τόκος
εἴσ᾽ ἀρτίκολλον ἀγγέλου λόγον μαθεῖν.

Sic legimus in Ristchelii et Kirchoffii editione. Dindorfius legi vult et in textum recepit: ὥστ᾽ ἀρτίκολλον κτέ. Quod certe iniuria fecit. Nonne enim libri εἴσ᾽ exhibent? Nonne infinitivus μαθεῖν merus consilium ac finem significare potest?

Porro dilucide vis infinitivi finalis et consecutiva apparet ex his exemplis:

Ag. 364 ἔστω, δ᾽ ἀπήμαντον
ὥστ᾽ ἀπαρκεῖν
εὖ πραπίδων λαχόντα.

„Esto sors mea incolumis, ut sufficiat sanae mentis compoti.“ Exstat autem hoc loco post imperativum praesentis infinitivus rem durantem indicaturus.

Indicativum praesentis sequitur praesentis infinitivus Eum. 423 ποῦ γὰρ τοσοῦτο κέντρον ὡς μητροκτονεῖν; — ubi vis finalis clare apparet. (= Sporn zum Muttermorde.) Ac post futurum praesentis infinitivum legimus his duobus locis: Ag. 1134

λαμπρὸς δ᾽ ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
πνέων ἐσᾄξειν,[1]) ὥστε κύματος δίκην
κλύζειν[2]) πρὸς αὐγὰς τοῦδε πήματος πολὺ μεῖζον.

Cassandram haec verba loquentem poeta facit: „Non amplius vaticinatio mea e velaminibus prospiciet, sed iam splendida ad solis ortus se proripiet, ut undae more ad lucem exaestuet calamitas hac calamitate multo maior.

Alter locus est hic:

Coeph. 554 μενοῦμεν οὕτως, ὥστ᾽ ἐπεικάζειν τινὰ
δόμους παραστείχοντα καὶ τάδ᾽ ἐννέπεν·

Orestes enim explicat, quomodo futurum sit, ut, quid spectet, consequatur (scl. ut et matrem et Aegisthum trucidet). Ac iubet Electram intra domum manere, se ipsum dicit cum Pylade amicissimo ad aulae portas iturum Phocensiumque lingua usurum esse. Cumque futurum sit, ut ianitores ipsum animo laeto non excipiant, sic se mansurum, ut ipsum persentiscat aliquis domum praeteriens ac dicat . . . . .

Aoristi autem infinitivus legitur praegresso futuro:

[1]) ἐσᾄξειν Bothius; libri: ἐσήξειν.
[2]) κλύζειν recte emendavit Auratus e lectione tradita κλύειν.

Eum. 82 μηχανὰς εὑρήσομεν,
ὥστ᾽ ἐς τὸ πᾶν σε τῶνδ᾽ ἀπαλλάξαι πόνων.

Post participium perfecti reperimus praesentis infinitivum Ag. 1142 καὶ μὴν πεπωκώς γ᾽, ὡς θρασύνεσθαι πλέον,
βρότειον αἷμα κῶμος ἐν δόμοις μένει. —

„Et profecto humano sanguine pastus, ut magis effervescat, in domo remanet coetus (Furiarum)“ —

et Suppl. 912
τῶνδ᾽ ἐφήλωται τορῶς
γόμφος διάμπαξ, ὡς μένειν ἀραρότως.

„Atque huic sententiae penitus est infixus clavus, ut stabilis et firma mansura sit.“ Quorum locorum utroque vis finalis infinitivi longe praevalet.

Atque omnibus fere his locis modo tractatis, ubi infinitivo cum ὥστε (ὡς) coniuncto vis et finalis et consecutiva inest, natura infinitivi genuina substantiva iam eo clarius existit, quod plerumque infinitivus solus subiecto novo non addito invenitur. Porro usurpatus est infinitivus aut praesentis aut aoristi, nunquam futuri. Ac semper de re cogitata tantum sermo est. Denique huic quidem infinitivo cum ὥστε coniuncto provinciam satis magnam poeta tribuit.

Infinitivus cum ὡς coniunctus pro imperativo usurpatus videtur.

Infinitivus naturam genuinam substantivam, ex qua est casus dativus vel locativus, quasi relinquens[1]) proxime ad verbi naturam accedit, si pro imperativo adhibetur. Quare hoc infinitivi usu quasi pons factus mihi videtur, quo ille usus, ubi natura substantiva elucet, coniunctus est cum illo, ubi hāc naturā genuinā exstinctā fere infinitivus pro verbo finito usurpatur.

Unde fit, ut hoc loco hunc infinitivi usum tractandum esse putem.

Unus tantum apud Aeschylum locus exstat eiusmodi, ubi codices praebent hanc lectionem: Coeph. v. 841 seq.

[1]) Similitudinem exstare inter infinitivum — quantum attinet ad eius naturam originariam — et inter imperativum ex eo elucet, quod et infinitivus et imperativus quodammodo consilium voluntatemque alicuius exprimit.

ἠκούσαμεν μέν, πυνθάνου δὲ τῶν ξένων
ἔσω παρελθών. οὐδὲν ἀγγέλων σθένος,
ὡς αὐτὸς αὐτὸν ἄνδρα πεύθεσθαι πέρι.

Coniecturae hoc loco factae sunt a plerisque editoribus.[1]) At nulla opus est coniectura, cum e verbis traditis optimus evadat sensus; neque Klausenius, Kirchhoffius quidquam mutandum esse putaverunt. — Sed inquiramus accuratius paullo in hunc locum. Rerum nexus hic fere: Aegisthus domum reversus e choro quaerit, quid sciat de Orestae morte, utrum vere sibi sit nuntiatum hospites advenisse Orestae mortem relaturos, necne. Tum chorus respondet: Audivimus sane, sed tu ipse domum ingressus percontare hospites. Neque enim est ulla nuntiorum fides. „Itaque tu ipse de viro ipso (scl. Oreste) exquire!“

Mihi quidem hoc loco infinitivus πεύθεσθαι usurpatus videtur pro imperativo. Qui usus infinitivi saepissime nobis occurrit in carminibus Homericis, haud raro ita, ut imperativus iam praecedat. Idem hoc quidem loco, de quo agimus, invenimus. Antecedit enim imperativus: πυνθάνου. Unde dilucidissime elucere mihi videtur hoc loco infinitivum pro imperativo esse adhibitum. Ac si res ita se habet, αὐτός nominativus solus recte se habet. Nam si infinitivus usurpatur pro imperativi persona secunda, subiectum eiusque attributa, quae vocamus, ponenda sunt in casu nominativo, sin pro tertia persona, in accusativo.[2]) Sic igitur librorum lectio optime servari potest. Ac tum περί praepositio verbis, quibuscum coniungenda est, αὐτὸν ἄνδρα, postposita est[3]) — quod apud Aeschylum fieri posse docet hoc exemplum: Pers. 63
οὓς πέρι πᾶσα χθὼν Ἀσιᾶτις
θρέψασα πόθῳ στένεται μαλερῷ.
cf. Ag. 1322.

Idem apud Sophoclem saepissime animadvertimus: cf. Ai. 442, 747, O. R. 94, 707, O. C. 423, Ant. 193, 214, 283, El. 412, 1111, 1492, Phil. 553, Trach. 77, 91.

[1]) Schuetzius, Porsonus: ὥς αὐτὸν αὐτῶν,
Turnebus: ὥς αὐτὸς αὐτῶν,
Dindorfius secutus est Schuetzium. Hermannus praeterea πέρι mutavit in πάρα.

[2]) cf. G. Curtius, Schulgramm. § 577, p. 332.

[3]) Quod si fit, anastrophe est adhibenda, ut scimus omnes (πέρι).

Saepius ille infinitivi usus invenitur locis, ubi ὡς (ὥστε) non praecedit. cf. Karstens p. 12, 13. Neque Sophocles, neque Euripides eum respuerunt. —

Hac disputationis parte absoluta transeo iam ad illum infinitivi cum ὥστε (ὡς) particula coniuncti usum, ubi

B. Infinitivus consecutivam habens vim pro verbo finito (pro indicativo) usurpatus videtur.

§ 1. Natura infinitivi casualis prorsus fere exstincta videtur, si ille pro verbo finito usurpatur. Ac tum quidem infinitivus sentiebatur sane nomen actionis, sed hoc nomen idoneum erat, quod pro verbo finito usurpari posset. Itaque optime fieri potuit, ut infinitivo particula ὥστε (ὡς) socia res vere facta indicaretur, — id quod negatum est a multis grammaticis putantibus infinitivo nihil significari posse, nisi rem cogitatam tantummodo ac mente fictam. Cui grammaticorum praecepto permulta repugnant exempla. Ut nonnulla afferam, legimus

Pers. 509 . . . . γαῖαν· ὡς στένειν πόλιν
Περσῶν ποθοῦσαν φιλτάτην ἥβην χθονός

Hoc loco de re vera dicere nuntium unusquisque, qui totum locum accuratius paullo inspexerit, facile concedet et inde clare apparere mihi videtur, quod verba ὡς στένειν κτέ. ab antecedentibus prorsus seiuncta exstant quodque optime illud ὡς sic vertere possumus: „itaque, igitur.“ Potuitne igitur poeta, cum de re vera sermo esset, pro infinitivo στένειν indicativo στένει uti? Sane, potuit. Nec tamen fecit. Cur igitur infinitivum praetulit? Clare hoc elucebit, si cum hoc loco comparaverimus illum:

Pers. 721 ὧδε παμπήδην δὲ λαὸς πᾶς κατέφθαρται δορί;
πρὸς τάδ᾽ ὡς Σούσων μὲν ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει.

Ac mihi quidem diligentius paullo utrumque locum examinanti satis constare videtur hoc interesse discrimen inter has duas constructiones: Illo loco (Pers. 509) necessitate quadam ex iis, quae antea dicta sunt, sequitur, ut cives Persarum habeant, cur gemant, hoc loco (Pers. 721) simpliciter haec dicta sunt: Universus exercitus deletus est. Itaque tota Persarum urbs gemit. Exstat igitur illo loco, ubi infinitivus legitur, quod nos dicimus „eine innere Begründung“, hoc loco, ubi indicativus invenitur, res vere facta refertur, quae simpliciter ex aliis rebus sequitur. Atque illo loco optime aptissimeque germanice vertemus: Unter

solchen Umständen hat die Perserstadt gerechten Grund zu seufzen, da sie des Landes schönste Blüthe mißt. Atque hoc discrimen, quod est inter infinitivum rem vere factam significantem et inter indicativum, aliis quoque locis cognoscemus.

Alterum exemplum, quod sam prolaturus ad illam grammaticorum sententiam prorsus planeque reiciendam, legimus in eiusdem fabulae v. 245

Ἄτ. πῶς ἂν οὖν μένοιεν ἄνδρας πολεμίους ἐπηλύδας;
Χόρ. ὥστε Δαρείου πολύν τε καὶ καλὸν φθεῖραι στρατόν.

Atossa regina, Xerxis mater, e choro senum Persicorum quaesiverat, quis Graecorum populo praeesset imperator. Cumque senes nullius hominis esse servos illos responderint, iam ex iis regina quaerit, quomodo, si ita res se habeat, fieri possit, ut hostium peregrinorum impetum sustineant. Tum senes: Ita impetum eorum sustinere possunt, ut Darei exercitum magnum ac bene instructum prorsus deleverint. — Quo loco de re vere facta esse sermonem luce clarius est. Manifeste enim senes haec verba ὥστε Δαρεῖον κτέ. dicentes meminerunt summo cum dolore pugnae Marathoniae, patriae suae fatalissimae. Haec hactenus! — Illis locis, de quibus paullo ante egi, (Pers. 509, 721), verbum στένειν, quod animi affectum significat, adhibitum est. Praeterea his duobus locis infinitivus cum ὥστε (ὡς) iunctus pro indicativo usurpatus invenitur, si verbum est affectum quendam animi significans:

Ag. 519 Χόρ. ἔρως πατρῴας τῆσδε γῆς σ᾽ἐγύμνασεν.
Κῆρ. ὥστ᾽ ἐνδακρύειν γ᾽ ὄμμασιν χαρᾶς ὕπο.

ubi est subintellegendum subiectum (ἐμέ) μέ,
ibid. 524

Κῆρ. ποθεῖν ποθοῦντα τήνδε γῆν στρατὸν λέγεις.
Χόρ. ὡς πόλλ᾽ ἀμαυρᾶς ἐκ φρενός μ᾽ ἀναστενεῖν.

Quibus locis uti sane potuit poeta indicativo. Sed semper fere apud illa ipsa verba poetae tragici infinitivum adhibuerunt. — cf. Soph. Ai. 794, El. 393, 1407, Phil. 323, Eurip. Alc. 1084, Hec. 341, 730, Or. 1122, Phoen. 1181.

Sed ne omittam, quod maxime memoratu dignum videtur, si accurate omnes locos, ubi post ὥστε (ὡς) infinitivus pro indicativo usurpatus est, inspexerimus, certissimam consecutionem temporum in his structuris servatam esse animadvertemus eandemque fere, quam observatam invenimus, si indicativus particula

ὥστε (ὡς) socia adhibetur, ut postea clarius elucebit, si ad Sophoclis et Euripidis structuras tractandas venero. Exstat enim post praesentis indicativum ὡς vel ὥστε cum praesentis infinitivo Sept. 527

φέρει δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα,
ὡς πλεῖστ᾽ ἐπ᾽ ἀνδρὶ τῷδ᾽ ἰάπτεσθαι βέλη.

Sermo est hoc loco de scuto Parthenopaei. In hoc est imago Sphingis sub se ferentis virum unum ex Cadmeis, ita, ut in eum coniciantur plurima tela.

Pro futuri infinitivo praesentis infinitivus usurpatus videtur, ut elucet e toto rerum nexu

Eum. 877 Χόρ. τίς δέ μοι τιμὴ μένει;
Ἀθ. ὡς μήτιν᾽ οἶκον εὐθενεῖν[1] ἄνευ σέθεν.

„Talis te manet honos, ut futurum sit, ut nulla domus sine te prosperitate fruatur.“ Agitur enim hoc loco de Furiis, quae summa ira in Orestem matricidam incensae ab eius latere discedere nullo modo volunt. Quas Minerva placatura in sua terra ipsi sacrā sedem perpetuam habere sinere vult. Istae vero superbissimae difficillimeque placabiles e dea alta quaerunt: Domina Minerva, quam mihi futuram esse sedem dicis? Minerva respondet: Sedem tenebis nulla miseria tactam, sed tu eam accipe! Tum istae: Sed, si accepero, qui me manet honos? Talis, inquit dea, ut futurum sit, ut nemo sine te prospere vivat. — Ac praesentis infinitivus positus est, ut demonstraretur certissime fore, ut deae promissum valeret. Res igitur futura ita nobis ante oculos ponitur, quasi iam praesens sit.[2] Eodem modo in v. 878 praesentis infinitivus pro futuri infinitivo usurpatus est.

Suppl. 578 legimus:

πάρεστι δ᾽ ἔργον, ὡς ἔπος
σπεῦσαι τι τῶν βούλιος φέρει φρήν.

Agitur de Iovis omnipotentia et aoristi infinitivum pro praesentis indicativo positum videmus, quo maiore vi clariusque depingatur, quam celeriter Iovis voluntas atque arbitrium perficiatur, ita, ut vox vix edita statim efficiat factum. Aoristi igitur infinitivus hoc loco significat actionem, quae praesenti tempore ad perfectionem pervenit, — quae est genuina indicativi aoristi

[1] εὐθενεῖν emendavit Scaliger ex: εὐσθενεῖν, quod praebet cod. Med.
[2] cf. G. Curtius, Schulgramm., p. 273, § 488.

notio. — Nec nobis hoc loco iungenda sunt me quidem iudice verba: ὡς ἔπος cum praecedentibus: πάρεστι δ᾽ ἔργον, — quod ut faciamus, adducere nos potest adnotatio manus secundae: ἅμα τῷ λόγῳ ἡ πρᾶξις, quae adnotatio pertinet ad sensum totius loci, — quia tum non habemus, unde dependeat infinitivus σπεῦσαι, sed ὡς particula consecutiva est accipienda ac iungenda cum σπεῦσαι, ita, ut vertamus: „Praesto est factum, ita, ut ipsa vox Iovis aliquid eorum, quae ferat mens prudens, iam properaverit.“ Non igitur commate interpungendum est post ἔπος, id quod Dindorfio, Kirchhoffio exceptis editores omnes fere fecerunt, sed post ἔργον.

Interdum post praeteritum tempus exstat praesentis infinitivus. Quod non sine iusta causa fieri solet. *Aut enim tum poeta consecutionem vel effectum usque ad praesens tempus pertinere ac valere indicare vult*, — cf. Pers. 509, Ag. 519 — *aut maiore vi, gravitate, vigore res praeterito tempore vere facta ita nobis ante oculos ponitur, quasi praesenti tempore fiat*:

Pers. 455 ἀμφὶ δὲ
κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον, ὥστ᾽ ἀμηχανεῖν,
ὅποι τράποιντο — ubi ad infinitivum ἀμηχανεῖν subintellegendum est subiectum τοὺς Πέρσας —

Ag. 1334 οὕτω δ᾽ ἔπραξα, καὶ τάδ᾽ οὐκ ἀρνήσομαι,
ὡς μήτε φεύγειν μήτ᾽ ἀμύνεσθαι[1] μόρον,

Eum. 34 seq.
ἢ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ᾽ ὀφθαλμοῖς δρακεῖν
πάλιν μ᾽ ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου,
ὡς μήτε σωκεῖν μήτε μ᾽ ἀκταίνειν βάσιν.[2]

Ac locis his tribus praesentis infinitivos positos esse maioris vigoris causa dilucide apparet ex narrationibus illa verba excipientibus, in quibus praesentis indicativos adhibitos videmus.

Reliquis locis, ubi res narrantur aut praeterito tempore re vera factae, aut pro veris ex libero loquentis arbitrio positae,

[1] ἀμύνεσθαι, Victorius; ἀμύνασθαι, libri. Victorii coniectura illa mihi verisimillima videtur, praesertim cum praesentis infinitivus φεύγειν praecedat.
[2] βάσιν, quod plerique editores receperunt, a manu secunda est suprascriptum meliusque sine dubio quadrat ad ἀκταίνειν quam στάσιν, quod praebet cod. Med.

post praeteritum tempus exstat aoristi infinitivus ὡς vel ὥστε particula socia:

Pers. 335, Ag. 185 seq., Pers. 435, Sept. 883, Ag. 271, [1]) 342 sequ., Coeph. 520, Suppl. 585

ἔδοξεν Ἀργείοισιν οὐ διχορρόπως,
ἀλλ᾽ ὡς ἀναβῆσαί με [2]) γηραιᾷ φρενί·

§ 2. Proximum locorum genus est illud, ubi (ὡς) ὥστε cum infinitivo consecutionem significat praegressa sententia negativa.

a. Ac si verbum enuntiationis primariae cum negationis particula coniunctum est, vel vocabulum negativum (velut οὐδείς, οὔτις) additum est, infinitivo vero negationis particula non additur, sensus totius sententiae exoritur negativus:

Ag. 1027

Τί ταῦτ᾽ ἀνωτότυξας ἀμφὶ Λοξίου;
οὐ γὰρ τοιοῦτος, ὥστε θρηνητοῦ [3]) τυχεῖν.

Quid, inquit chorus ad Cassandram sese convertens, haec lamentata es circa Loxiam? Non est is, qui lamentationibus intersit, i. e. Non interest lamentationibus. Potuit Aeschylus sane indicativo uti, quod docent hi loci Euripidei: Troad. 971, Phoen. 1612 seq. — ubi indicativus praegressa sententia negativa legitur (v. infra p. 71 seq.). Sed Aeschylus et Sophocles semper tum infinitivo post ὥστε usi sunt. — Alter eiusmodi locus hic:

Prom. 994

γνάψει γὰρ οὐδὲν τῶνδε μ᾽, ὥστε καὶ φράσαι,
πρὸς οὗ χρεών νιν ἐκπεσεῖν τυραννίδος.

[1]) Hoc loco ἰχθῦς coniecit Ahrens ex ἰσχύς, quod vocabulum praebent libri.

[2]) Lectionem cod. Med. ἂν ἡβήσαιμι optime rectissimeque coniecit Tyrwhittus in ἀνηβῆσαί με. Neque enim optativus potentialis ad sententiam quadrare videtur, quia de tempore praeterito sermo est. Itaque Kirchhoffius hanc coniecturam recepit. Quadecausa autem Dindorfius pro ὡς scripserit ὥστ᾽, non intellego. Nonne ὡς particula consecutiva apud Aeschylum est usitatissima?

[3]) θρηνητοῦ, libri. Kirchhoffius suspicatur θρηνησμοῦ. Melius sine dubio ad sensum quadrat θρηνησμός, fletus, quam θρηνητός, plorator.

„Nihil me ita flectet, ut Iovi dicam, a quo futurum sit, ut tyrannide privetur.“ Sensus: Nequaquam dicam etc. Sensus igitur futuri temporis infinitivo φράσαι videtur inesse, — quod elucet e futuro praecedente: γνάψει. Ceterum aoristi infinitivo saepius futuri vis ac notio inest, non solum apud Aeschylum, [1]) sed etiam apud Sophoclem et Euripidem.

b. Sin autem non solum verbo finito, sed etiam infinitivo negationis particula additur, sensus evadit affirmativus:

Eum. 295 seq.

οὔτοι σ᾽ Ἀπόλλων οὐδ᾽ Ἀθηναίας σθένος
ῥύσαιτ᾽ ἄν, ὥστε μὴ οὐ παρημελημένον
ἔρρειν, τὸ χαίρειν μὴ μαθόνθ᾽ ὅπου φρενῶν κτέ.

Sensus: „Certissime peribis.“ Negatione autem gemina, particulis μὴ οὐ, utitur hoc loco poeta, ut simplicis μή vim firmet augeatque. cf. Soph. El. 97.

Quod autem attinet ad eiusmodi exempla, in quibus negationis particula additur, liceat afferre, quod optime rectissimeque monuit G. Hermannus, [2]) vir ille doctissimus:

„Particula ὥστε praegressa negatione interdum ita construitur, ut ad solum verbum, non ad negationem pertineat — cf. Eur. Suppl. 875 seq.

φίλων δὲ χρυσὸν πολλάκις δωρουμένων
οὐκ εἰσεδέξατ᾽ οἶκον, ὥστε [3]) τοὺς τρόπους
δούλους παρασχεῖν χρημάτων ζευχθεὶς ὕπο.

Aurum ab amicis oblatum non accepit, ut iis serviret pecunia corruptus, i. e. quo facto iis serviturus fuisset.“

Ac si talia exempla in nostram linguam vertimus, coniunctivo utimur aut imperfecti, (Ag. 1028, Eum. 296, Prom. 994), aut plusquamperfecti (Eur. Suppl. 876). Eum. 295: Keineswegs möchte dich Apollo, noch Athenes Macht schützen, so dass du nicht verlassen einst hinführest, nicht kennend, wo im Herzen Freude wohnt . . . . .

[1]) cf. Karstens, p. 47.

[2]) cf. G. Hermann, ad Viger., p. 945.

[3]) Hoc loco ὥστε codices praebent, quae lectio plane tolerabilis mihi videtur. Quare Nauckii coniecturam οὐδὲ παρέσχε reiciendam puto.

Pauca iam disputabo de hoc loco: Prom. 315 seq.

εἰ δ᾽ ὧδε τραχεῖς καὶ τεθηγμένους λόγους
ῥίψεις, τάχ᾽ ἄν σου καὶ μακρὰν ἀνωτέρω
θακῶν κλύοι Ζεύς, ὥστε σοὶ τὸν νῦν χόλον[1])
παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν.

Sensus hic: Oceanus Prometheo vincto iraque summa ob laborum magnitudinem incenso haec fere pronuntiat: „Si sermones tam acerbos atrocesque emiseris, mox te Iupiter altius sedens audiet, ut ira laborum, qua nunc praesenti tempore es inflammatus, ludus iocusque tibi videatur esse —“ (so dass dir . . . . schiene).

Hoc et illo loco a me iam tractato, Eum. 295, haud inepte Aeschylus uti potuit optativo mero pro infinitivo; nam ille praegresso optativo potentiali per modorum assimilationem usitatissimus est.[2]) Atque optativus merus, quippe qui cogitationem ac fictionem alicuius nobis ante oculos ponat, optime ad sententiae sensum quadrare videtur. Sed semper fere talibus in exemplis poetae tragici infinitivum adhibuerunt post ὥστε — cf. Soph. Ai. 1339, O. R. 1084, O. C. 602, 943, Eur. Hel. 1040, Hipp. 961, I. T. 1017, Rhes. 859, Phoen. 506, 591. Duobus tantummodo locis Euripides optativo mero usus est praegressa particula ὥστε: Hec. 855, I. A. 418, — quibus de locis infra agam (cf. p. 72). Ceterum apud alios quoque Graecorum scriptores optativus merus post ὥστε perraro invenitur. Ac tum plerumque optativus iam praecedit, aut potentialis, aut merus, quod fieri solet, si enuntiatio conditionalis (εἰ c. opt.) antecedit aut optativus optatum exprimens, aut si oratio obliqua exstat — cf. Xen. Hell. III, 5, 23; Oec. I, 13 Εἴ τις χρῷτο τῷ ἀργυρίῳ, ὥστε . . . . ἔχοι, πῶς ἂν . . . εἴη;

Infinitivus, postquam longam percurrit viam, — namque e substantivo ortus paullatim magis magisque in verbi notionem transiit, — postremo in substantivi notionem, unde erat profectus, rediit. Inveniuntur enim loci innumerabiles fere, ubi aut

[1]) Lectionem traditam: τὸν νῦν χόλον tolerabilem esse cum Kirchhoffio iudico. Itaque coniecturis non opus est. Scribi enim voluerunt: Doederlinus: ὄχλον, Meineckius: ὅτλον, M. Hauptius: τὸν νῦν πολὺν παρόντα μόχθον, Wecklinius: τὸν νῦν χόλου μόχθον.

[2]) cf. G. Curtius, Schulgr., p. 318, § 558, b, 1, a.

subiecti aut obiecti partes agit. Nec raro tum articulum praemissum videmus, quia memoria originis infinitivi oblivione deleta fere erat. Infinitivus enim substantivum indeclinabile putabatur atque articulum uniuscuiusque casus accipere poterat. Exstant etiam loci, ubi

C. Infinitivus particula ὥστε (ὡς) addita periphrasis existit aut subiecti aut obiecti.

Fuere, qui mirarentur ὥστε cum infinitivo usurpari posse post verba, qualia sunt: συμβαίνειν, συμφέρειν, πρέπειν, συμπίπτειν, ἔστιν = ἔξεστιν alia, — ἐθέλειν, πείθειν, ποιεῖν, πράττειν, alia. Quod non miror. Neque enim illi in infinitivi naturam accurate inquisiverunt. Quod si fecissent, hanc quidem rem facillime explanari posse intellexissent. Semper enim post talia verba ὥστε c. inf. periphrasis existit subiecti aut obiecti. Ac particula omitti tum potest sine ullo sensus incommodo. Meliusque erit in vertendis talibus exemplis merum adhibere infinitivum particula neglecta.

Sed, ut ad exempla ipsa, quae apud Aeschylum exstant, accedamus, unum tantum invenitur, ubi

a. ὥστε c. inf. periphrasis est subiecti:

Ag. 1349 εἰ δ᾽ ἦν πρεπόντων[1]) ὥστ᾽ ἐπισπένδειν νεκρῷ,
τῷδ᾽[2]) ἂν δικαίως ἦν, ὑπερδίκως μὲν οὖν.

Quo loco ὥστε praetermitti posse satis apparet. Ac praesentis infinitivo usus est poeta, quo nihil significaretur, nisi actio mera.

b. Obiecti periphrasis ὥστε (ὡς) c. inf. existit.

Clarissime infinitivum ὥστε (ὡς) adiecto obiecti esse periphrasin elucet ex iis exemplis, ubi pronominis demonstrativi neutro, quod vocamus, praemisso indicatur obiectum sequens:

Pers. 714 καὶ τόδ᾽ ἐξέπραξεν, ὥστε Βόσβορον κλῆσαι μέγαν;

[1]) Kirchhoffius hoc loco codicum lectionem πρεπόντων non mutavit. Alii editores alia temptarunt. Si qua coniectura opus videtur esse, maxime mihi placet G. Hermanni: εἰ δ᾽ ἦν πρέπον τῷδ᾽ ὥστ᾽ ἐπισπένδειν.

[2]) Kirchhoffius Tyrwhitti recepit coniecturam τῷδ᾽, Hermannus lectionem traditam τάδ᾽ defendit.

Eum. 878 σὺ τοῦτο πράξεις, ὥστε με σθένειν τόσον;
Suppl. 958 seq. καὶ ταῦθ' ἅμ' ἐγγράψασθε[1]) πρὸς γεγραμμένοις
πολλοῖσιν ἄλλοις σωφρονίσμασιν πατρός,
ἀγνῶθ' ὅμιλον ὡς ἐλέγχεσθαι χρόνῳ.

Praecipue autem, ut in exemplo primo et altero, post verba efficiendi, velut πράττειν, ἐκπράττειν, ποιεῖν, infinitivo particulam ὥστε additam videmus.

Quod attinet ad tertium locum, post v. 959 sine dubio nonnulla exciderunt, id quod iam recte monuit Weilius. Uti enim debuit Aeschylus non pluralis neutro ταῦτα, sed singularis τοῦτο, si de una tantum re sermo est; ἀγνῶθ' ὅμιλον ὡς ἐλέγχεσθαι χρόνῳ.

Sequitur locus, ubi ὥστε c. inf. quasi appositio, quam vocamus, existit obiecti antecedentis:

Prom. 342 αὐχῶ γὰρ αὐχῶ τήνδε δωρεὰν ἐμοὶ
δώσειν Δί', ὥστε τῶνδε σ' ἐκλῦσαι πόνων.

Hoc loco ὥστε c. inf. re vera modum ac rationem indicat, quale illud donum futurum sit, quod Oceanus se a Iove accepturum esse sperat, quae res iam indicatur pronomine τήνδε. Aoristi autem infinitivo significatur, quanta fiducia Oceanus se illud donum a Iove accepturum esse speret, ita, ut verba illa dicens iam habere sibi videatur illud donum.

Reliquis denique locis et ipsis facile est ὥστε (ὡς) c. inf. periphrasin obiecti cognoscere. Particula enim omitti atque articulus τό praemitti potest. Loci sunt hi:

Coeph. 529 κρίνω δὲ τοί νιν ὥστε συγκόλλως ἔχειν.
Eum. 200 ἔχρησας ὥστε τὸν ξένον μητροκτονεῖν.
ibid. 226 οὐδ' ἂν δεχοίμην ὥστ' ἔχειν τιμὰς σέθεν.
ibid. 786 αὐτὸς θ' ὁ χρήσας αὐτὸς ἦν ὁ μαρτυρῶν,
ὡς ταῦτ' Ὀρέστην δρῶντα μὴ βλαβὰς ἔχειν.

Suppl. 601 τοιαῦτ' ακούων χερσὶν Ἀργεῖος λεὼς
ἔκραν' ἄνευ κληθῆρος ὡς εἶναι τάδε.

Dixerit forsitan quispiam loco quarto et quinto et illo paullo ante allato, Suppl. 960, ὡς non esse particulam consecutivam,

[1]) Sic recte me quidem iudice emendavit Hermannus (cf. adn. p. 50, v. 960) lectionem traditam : καὶ ταῦτα μὲν γράψεσθε.

sed, velut ὅτι, non cum verbo finito, sed cum infinitivo coniunctum. Fieri enim posse, ut post verba dicendi et putandi ὅτι, ὡς c. inf. iungantur. Concedo. Sed his quidem locis ὡς particulam consecutivam accipi malim propterea, quod alia exempla, (velut Coeph. 529, Eum. 200), post talia verba ὥστε c. inf. praebent.

Atque haec habui, quae dicerem de structuris Aeschyleis.

Cap. II.

De ὥστε, ὡς particularum usu Sophocleo.

Venio ad Sophoclem. Cuius poetae praestantissimi atque elegantissimi fabulas si accurate cum Aeschyli fabulis comparaverimus, quam recte supra a me dictum sit paullatim magis magisque classicos, quos vocamus, scriptores particula ὥστε consecutiva usos esse facile intellegemus. Nam cum apud Aeschylum exstent loci quinquaginta duo, apud Sophoclem inveniuntur nonaginta octo.

Sed aliis quoque rebus hic poeta multum differt ab illo. Utitur enim multo rarius ὡς particula consecutiva. Namque in fabulis Sophocleis loci tredecim[1]) tantummodo illam particulam exhibent, at in Aeschyleis, ut supra vidimus, viginti sex.

Maxima autem differentia, quae exstat, pertinet ad usum modorum finitorum, quos Aeschylus, nisi illis tribus locis a me copiose tractatis (cf. p. 28 seq.), non adhibuit, Sophocles triginta quinque locis admisit.

Porro a Sophocle ἄν particula compluribus locis et modis finitis addita est praegresso ὥστε et infinitivo; apud Aeschylum nullum eiusmodi exstat exemplum. Neque apud eundem poetam exstat locus, ubi ὥστε (ὡς) cum imperativo coniunctum sit; — apud Sophoclem unum tale exemplum invenitur.

Quibus adnotationibus praemissis ad singula exempla Sophoclea accuratius tractanda accedamus.

Atque primum quidem, ut erat propositum, de iis locis agamus, ubi

[1]) Adnumerata sunt exempla tria, ubi ὡς invenitur in certis formulis (cf. p. 35).

I. Particula ὥστε (ὡς) modis finitis additur.

Exempla Sophoclea, ubi ὥστε (ὡς) cum modis finitis coniunctum est, accurate comtemplantes magis magisque intellegemus modos finitos tum quidem in usum vocari, si duae sententiae, quarum utraque pondus suum habet, ita inter sese coniunguntur, ut altera causam, altera effectum vel consecutionem ex illa causa exorientem contineri clare appareat. Ac locis permultis apud Sophoclem alteram sententiam ab altera prorsus solutam videmus, ita, ut illa ipsa existat sententia primaria. Nam de triginta quinque locis, ubi modi finiti ὥστε (ὡς) praegresso inveniuntur, viginti duo sententiam consecutivam a praecedente sententia seiunctam praebent — cf. Ai. 98, 212, 1342, O. R. 65, 135, 411, 857, 1036, O. C. 565, 573, 1342, Antig. 215, El. 333, 1086, 1172, Trach. 445, 705, 943, Phil. 75. Ac saepe tum ὥστε c. verb. fin. non solum ad sententiam, quae antecedit, pertinet, sed etiam ad totam rem antea explicatam, cf. O. R. 857, Trach. 705, 943.

Aliis locis, ubi interpunctio maior (colon vel punctum) ante ὥστε (ὡς) non exstat, facillime sine sensus ullo incommodo sententia ab ὥστε (ὡς) incipiens seiungi potest a sententia, quae antecedit. Tales loci sunt hi: Ai. 668 ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον — O. C. 82, 271, 305, El. 1204, 1389, Trach. 58.

Atque omnibus in his exemplis ὥστε (ὡς) aptissime sic vertemus: „itaque, daher, unter solchen Umständen".

Sed, ut ad rem ipsam veniamus, undetriginta loci mihi apud Sophoclem occurrerunt, ubi

§ 1. Indicativo ὥστε (ὡς) additum est.

Indicativo res nobis ante oculos ponuntur, quas re vera esse vel fuisse vel futuras esse certissime aut affirmatur aut negatur. Itaque in enuntiationibus consecutivis hic modus adhibetur, si quis rem aliquam ex alia vel aliis re vera sequi vel secutam vel secuturam esse certissime (aut affirmans aut negans) pronuntiat. Nec ratio habetur, utrum consecutio necessaria sit vel fuerit vel futura sit, necne.

Ac si accuratissime exempla, ubi post ὥστε (ὡς) indicativus usurpatur, inspexerimus atque examinaverimus, indicativum adhiberi videbimus

primum: si quis rem affert, quae re vera est vel fuit, quippe quam ipse inspiciat vel inspexerit;

deinde, si quis rem affert, quam ipse non inspexit, sed aliorum iudicio certo usus eoque nisus pronuntiat veram;

denique, si quis rem e suo ipsius libero iudicio pro vera ponit.

Atque illa exempla inspicientes, ubi, quia sententia ab ὥστε (ὡς) incipiens artius paullo cum sententia, quae antecedit, cohaeret, interpunctio maior non posita est ante ὥστε (ὡς), certissimam consecutionem temporum exstare videmus.

Invenimus enim ὥστε (ὡς) cum

A. a. praes. indic. post
- α. praes. indic. Ai. 668, El. 275, 761, Trach. 58, 590, Phil. 196
- β. perf. praes. O. C. 82 (βέβηκε = ἄπεστιν)

b. fut. indic. post
- α. praes. indic. O. C. 305, Ant. 752, El. 1204
- β. perf. praes. El. 1389
- γ. fut. Trach. 575

B. praet. temp. (aor., impf.) indic.
- α. cum aor. post aor. ind. Ai. 729, Trach. 254
- β. cum impf. post impf. O. C. 271.

Proferamus iam exempla singula.

Primum igitur genus est illud, ubi

a. aliquis rem affert, quam veram pronuntiat,

α. quippe quam ipse inspiciat:

El. 275 ἣ δ' ὧδε τλήμων, ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ' Ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη.

quo loco enuntiatio consecutiva magnitudinem et gradum, quousque audacia Clytaemnestrae procedat, indicat — id quod iam adverbio demonstrativo ὧδε significatur. Eodem modo pronomen demonstrativum praecedit his locis duobus, ubi

β. aliquis rem affert, quae re vera fuit, quippe quam ipse inspexerit:

Ai. 729 ὥστ' εἰς τοσοῦτον ἦλθον, ὥστε καὶ χεροῖν
κολεῶν ἐρυστὰ διεπεραιώθη ξίφος.

O. R. 532 τοσόνδ᾽ ἔχεις
τόλμης πρόσωπον, ὥστε τὰς ἐμὰς στέγας
ἵκου, φονεὺς ὢν τοῦδε τ᾽ ἀνδρὸς ἐμφανῶς κτέ.

Quorum locorum primo hanc libri praebent lectionem, quam protuli: ὥστ᾽ εἰς . . . Offenderunt in hoc ὥστ᾽ Bothius Thierschius, Meinekius ac scribendum proposuerunt Bothius: οἵ δ᾽ εἰς . . . Thierschius, quem secutus est Nauckius: ἔστ᾽ εἰς . . . Meinekius: κᾆτ᾽ εἰς . . . Mihi lectio tradita tolerabilis videtur. Nexus enim rerum hic fere: Nuntius narrat: Teucrum in castra venientem omnes circumsteterunt Achivi. Tum eum vehementissime conviciis et maledictis lacessebant — esse istum fratrem Aiacis furentis insidiantisque exercitui, ac certe lapidibus obrutum periturum — adeoque progressi sunt, ut etiam e vaginis manibus gladii stringerentur. — Etiam G. Wolffius traditam lectionem servavit adnotans: (ed., Lips. 1874) „ἦλθον beiderseits. Die Drohungen reizten gewiss den Teucros, das Schwert zu ziehen (darum das erste ὥστε), und die Gegner thaten es nun auch ihrerseits."

Atque ex his duobus exemplis dilucide videmus rem maioris momenti (= Hauptgedanke) positam esse in enuntiatione consecutiva, si ὥστε modo finito adiectum est (cf. p. 19).

Huc etiam pertinet hic locus:

El. 1086 οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν τοι
ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει
νώνυμος, ὦ παῖ παῖ·
ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν[1]) εἵλου.

Chorus virginum Mycenaearum ad Electram conversus ait: Nemo hominum generosorum in calamitate versantium nobilitatem suam dedecorare vult. — Quod praeceptum etiam tu, Electra, sequeris. — Itaque sortem tristissimam praetulisti.

b. Res profertur, quam, qui dicit, ipse non inspexit, sed aliorum iudicio usus veram pronuntiat.

Unum tale exemplum apud Sophoclem mihi occurrit:

[1]) Certe hoc loco corrupta videtur vox: κοινόν. Froehlichius Schuppius: κεῖνον (Zeitschr. f. österr. Gymn., 1863, p. 691), quae coniectura omnium ad hunc locum sanandum factarum optima mihi videtur.

Trach. 252 seq. κεῖνος δὲ πραθεὶς Ὀμφάλῃ τῇ βαρβάρῳ
ἐνιαυτὸν ἐξέπλησεν, ὡς αὐτὸς λέγει,
χ᾽ οὕτως ἐδήχθη τοῦτο τοὔνειδος λαβών,
ὥσθ᾽ ὅρκον αὑτῷ προσβαλὼν διώμοσεν,
ἦ μὴν τὸν αὐτόχειρα[1]) τοῦδε τοῦ πάθους
ξὺν παιδὶ καὶ γυναικὶ δουλώσειν ἔτι.

Lichas Deianirae narrat, quae ipse ab Hercule audivit, id quod apparet e verbis: ὡς αὐτὸς λέγει.

c. Aliquis e sua sententia rem aliquam pro vera ponit.

α. Res pertinet ad praesens tempus:

Ai. 668 ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ᾽ ὑπεικτέον.

Praeterea cf. O. R. 65 ἡ δ᾽ ἐμὴ
ψυχὴ πόλιν τε κἀμὲ καὶ σ᾽ ὁμοῦ στένει.
ὥστ᾽ οὐχ ὕπνῳ γ᾽ εὕδοντα μ᾽ ἐξεγείρετε.

O. C. 82, 573, Trach. 58, 445, 590, 705, 943, quibus locis omnibus ὥστε, particulam conclusionis, sic optime vertemus: „itaque".

Porro huc pertinent hi loci:

Trach. 174 καὶ τῶνδε ναμέρτεια συμβαίνει χρόνου
τοῦ νῦν παρόντος, ὡς τελεσθῆναι χρεών.

O. Hensius[2]) pro ὡς scribendum proposuit ᾧ, ut ᾧ referendum sit ad verba χρόνου τοῦ νῦν παρόντος. Quae coniectura a Nauckio recepta mihi non displicet. Sed, cum lectio tradita plane sit tolerabilis, eam servari malim. Puto enim cum Dindorfio ὡς accipiendam esse particulam consecutivam.

Ceterum, quod affert Hensius: „Erwägt man weiter, dass ein ὡς dem folgenden ὥστε gegenüber nicht empfohlen ist" . . . hoc plane infringere mihi videtur hic locus Sophocleus:

O C. 385 ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ᾽ ὡς ἐμοῦ θεοὺς
ὤραν τιν᾽ ἕξειν, ὥστε σωθῆναί ποτε; —

Phil. 195 seq. καὶ νῦν ἃ
πονεῖ δίχα κηδεμόνων,
οὐκ ἔσθ᾽ ὡς οὐ θεῶν του μελέτῃ
τοῦ μὴ πρότερον τόνδ᾽ ἐπὶ Τροίᾳ
τεῖναι τὰ θεῶν ἀμάχητα βέλη,
πρὶν κτέ.

[1]) αὐτόχειρα est coniectura. Libri: ἀγχιστῆρα. Wunderus hos versus putat spurios.

[2]) cf. O. Hense, Studien zu Sophocles, Leipzig, 1880, p. 40.

„Ac nunc quidem, quod attinet ad morbum eius, quo affligatur curante nemine, non est, ut non deorum cura hoc fiat, ne ille tela deorum invicta contra Troiam prius dirigat, quam“ etc.

Supplendum est post ὡς verbum γίγνεται (vel ἐστίν). Atque hac in locutione οὐκ ἔσθ᾽ ὡς particulae ὡς inesse vim consecutivam elucet. Genuine autem illud ὡς sensum esse adverbium relativum inde apparet, quod etiam ὅπως — idque multo saepius — reperitur. Atque ὡς exstat etiam Ant. 752 ταύτην ποτ᾽ οὐκ ἔσθ᾽ ὡς ἔτι ζῶσαν γαμεῖς.

Pauca iam disseram de Ant. 215, ubi libri exhibent haec:

ὡς ἂν σκοποὶ νῦν ἦτε τῶν εἰρημένων —

Nexus sententiarum hic fere: Creonti domino Polynicis corpus sepeliri vetanti respondet chorus: Tu quidem, quippe qui obtineas summum imperium, omnia, quaecumque vis, facere potes. — Iamque sequuntur Creontis verba illa, quae attuli. Quae, ut sunt tradita, sine dubio corrupta sunt. Coniecturarum ad hunc locum factarum plurimae (cf. Nauckii adn.) traditam lectionem nimis perturbant. Recte se habere mihi res videtur, si commate post ὡς posito pro ἂν scripserimus ἤν:[1])

ὡς, ἢν σκοποὶ νῦν ἦτε τῶν εἰρημένων —

Facile enim librarius pro ἢν scribere potuit ἄν. — Deest autem apodosis, quam vocant grammatici, huius periodi hypotheticae. Subito enim chorus Creontem illa verba loquentem, interpellat

his verbis: (v. 216) νεωτέρῳ τῳ τοῦτο βαστάζειν πρόθες. Perrecturus autem erat Creon sic: ἐπεντέλλω τὸ μὴ ἐπιχωρεῖν τοῖς ἀπιστοῦσιν τάδε —

quae verba re vera infra paullo (v. 219) sequuntur. — Vertendum igitur est: Itaque, (scl. cum penes me sit summa potestas,) si estis custodes nunc eorum, quae imperavi, — . . . . (v. 219) impero, ne cedatis illis, qui obtemperare nolint.

Iam G. Wolffius Creontem hoc loco loquentem interpellari recte animadvertit; neque quidquam mutans esse enuntiationem illam ὡς ἂν κτέ. finalem indicavit, — quod vix crediderim. Neque

[1]) Forma ἂν = ἐάν, ἤν apud tragicos poetas non exstat; ubi antea legebatur, (cf. Trach. 672, O. R. 1062) emendationes factae sunt eaeque summo iure.

enim apud Sophoclem locus mihi occurrit, ubi sententia finalis antecedat sententiam primariam. — Similia exempla, ubi, qui loquitur, interpellatur, haec sunt: O. R. 325, Phil. 1230.

β. Res pertinet ad praeteritum tempus:

O. R. 1036 ὥστ᾽ ὠνομάσθης[1]) ἐκ τύχης ταύτης, ὃς εἶ.

γ. Res pertinet ad futurum tempus.

Huc omnia illa exempla pertinent, ubi ὥστε cum futuro iunctum est. Tum enim sermo est de re non vere facta vel quae vere fit, sed de re, quam quis e iudicio suo re vera esse futuram affirmat. Exempla exstant haec:

Ai. 98, O. R. 135, 411

οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ·
ὥστ᾽ οὐ Κρέοντος[2]) προστάτου γεγράψομαι.

O. C. 305 πολὺ γάρ, ὦ γέρον, τὸ σὸν
ὄνομα διήκει πάντας, ὥστε, κεἰ βραδὺς
[εὕδει][3]) κλύων σοῦ δεῦρ᾽ ἀφίξεται ταχύς.

O. C. 1342, Antig. 752, El. 1204, 1389, Phil. 75

ὥστ᾽, εἴ με τόξων ἐγκρατὴς αἰσθήσεται,
ὄλωλα καί σε προσδιαφθερῶ ξυνών.

Hoc loco perfectum ὄλωλα pro futuro usurpatum est, ut sermo vigore crescat. De re enim futura dicitur, quasi iam praesens sit. Ulixes indicat, quam certus sibi ipsi immineat interitus, si Philoctetes inimicissimus arcum manibus teneat. Neque aliter nos dicimus: „Dann bin ich verloren“, et Latini: perii.

Trach. 575 ἔσται φρενός σοι τοῦτο κηλητήριον
τῆς Ἡρακλείας, ὥστε μήτιν᾽ εἰσιδὼν
στέρξει γυναῖκα ἀντὶ σοῦ πλέον.

Sermo est de viro, quod Nessus Deianirae ad Herculis uxoris amorem in perpetuum servandum dat. Atque illa verba Nessus Centaurus moriturus loquitur: Hoc tibi erit delenimentum animi Herculei, ut futurum sit, ut nullam feminam intuitus magis amet, quam te.

[1]) G. Wolffius: ὡς ὠνομάσθης — sed iniuria, cum libri litteras στ (vocabuli ὥστε) uno ductu expressas praebeant et littera τ erasa sit. Litterae σ forma alia est, si separatim scribitur, alia, si cum τ coniungitur.

[2]) Herwerdenus: οὐδ᾽ αὖ Κρέοντος, Bellermannus: οὐδ᾽ ὡς . . . Mihi lectio tradita tolerabilis videtur.

[3]) Sine dubio εὕδει corruptum est. Cum Brunckio et Meinekio legi velim: ἕρπει.

Atque μήτιν' adhibuit poeta, ut notio finalis, quae subest huic consecutivae enuntiationi, melius clariusque cognosceretur. Eodem modo μήτις adhibetur, quod consilii vis sententiae subest, in eiusdem fabulae v. 800

ἀλλ' ἆρον ἔξω, καὶ μάλιστα μέν με θὲς
ἐνταῦθ', ὅπου με μή τις ὄψεται βροτῶν.

Praeterea cf. Ai. 659, O. R. 1412, El. 380, 436. Itaque coniectura nulla opus est.

Scribi enim voluerunt Subkoffius: ὥστ' ἔτ' οὔτιν' εἰσιδὼν, Hensius: (Studien, p. 112) ὡς ἔτ' οὔτιν' εἰσιδὼν.

Unum tantum exemplum apud Sophoclem mihi occurrit, ubi ὥστε indicativo temporis praeteriti ἄν particula socia adiunctum videmus. Ab ὥστε tum incipit enuntiatio consecutiva, quae simul est apodosis, quam vocamus, periodi hypotheticae.[1] Atque consecutio nobis ante oculos ponitur, quae existeret vel exstitisset, si quaedam condiciones implerentur vel impletae essent. Hic habes locum:

O. C. 272 καίτοι πῶς ἐγὼ κακὸς φύσιν,
ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων, ὥστ', εἰ[2]) φρονῶν
ἔπρασσον, οὐδ' ἂν[3]) ὧδ' ἐγιγνόμην κακός.

Atqui, quomodo natura sum malus? Qui iniuriam patiens facto rependi, ita, ut, si consulto fecissem, ne ita quidem ex-

---

[1]) De enuntiatis conditionalibus apud tragicos poetas Graecos cf. Winter, diss., Vratisl., 67.

[2]) de εἰ particulae origine cf. Delbrueck, S. F. p. 70, Curtius, Grundz. V, p. 394.

[3]) De ἄν particulae etymologia nihil certi adhuc constat. Neque, cum ne doctissimis quidem viris adhuc contigerit, ut sententiam probabilem sane constituerent, in hanc rem accuratius inquirere audeo. Certissime autem iam constat tantum abesse, ut haec particula sententiam reddat incertam, ut eam confirmet magis vique maiore instruat. Etiam nos indicativum adhibere possumus: „daher, wenn ich es mit Bedacht that, war ich auch so nicht schlecht." Vis enim ac notio irrealitatis inest neque in ἄν, neque in imperfecto vel aoristo, sed in sententiarum nexu. Quia res, quae in conditionali enuntiato (εἰ c. impf. vel aor. indic.) exponitur, ad praeteritum tempus refertur, res, de qua in apodosi sermo est, existit irrealis. Itaque ἄν, cum ad sensum irrealem necessarium non sit, etiam omitti potest in apodosi; cf. Curtius, Schulgr. p. 304, § 542.

isterem malus. Atque imperfecto ἔπρασσον pro aoristi indicativo usum esse poetam elucet. Nam ἔπρασσον ad rem pertinet, quae semel tantum facta esset, ἐγιγνόμην ad rem, quae usque ad praesens tempus pertineret.[1])

§ 2. Optativo potentiali ὥστε particula additur.

Indicativo ὥστε adiectum vidimus, si quis consecutionem aliquam certissime pronuntiat veram. Sin autem modestiore dicendi modo, si hoc dicere licet, uti vult, optativum potentialem adhibitum videmus.

Optativo pure posito cogitationem vel fictionem meram alicuius nobis ante oculos poni iam supra memoravi. Saepe optativo ἄν particulam additam videmus. Quod si fit, illius modi vis genuina magis augetur firmaturque. Quare tum iudicium ex mente ac fictione alicuius exortum certius quodammodo probabiliusque profertur. — Ac sunt exempla Sophoclea eiusmodi, ut ὥστε c. opt. pot. semper existat sententia per se ipsa valens. Recte igitur apteque vertemus: itaque, igitur, daher.

Haec sunt exempla:

Ai. 212 ὥστ' οὐκ ἂν ἄιδρις ὑπείποις.
ibid. 1342 ὥστ' οὐκ ἂν ἐνδίκως γ' ἀτιμάζοιτό σοι.
O. R. 857 ὥστ' οὐχὶ μαντείας γ' ἂν οὔτε τῇδ' ἐγὼ
βλάψαιμ' ἂν εἵνεκ' οὔτε τῇδ' ἂν ὕστερον·

Quo in exemplo ἂν etiam ter positum est, ut optativi vis firmaretur. Idem fit in fragm. 669: πῶς ἂν οὐκ ἂν ἐν δίκῃ θάνοιμ' ἄν; Bis usurpatum est El. 333, ubi enuntiatio consecutiva simul est apodosis periodi hypotheticae (cf. praeterea Ant. 884, El. 439 seq.).

In quinto denique exemplo O. C. 565

ὥστε ξένον γ' ἂν οὐδὲν ὄνθ' ὥσπερ σὺ νῦν
ὑπεκτραποίμην μὴ οὐ συνεκσώζειν. —

μὴ post verbum ὑπεκτρέπεσθαι adhibetur, quia hoc verbum eiusdem est generis atque verba impediendi; atque οὐ illi μή additur, ut tota sententia negetur. — Perpauca iam dicam de O. C. 45 ὥστ' οὐχ ἕδρας γῆς τῆσδ' ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι.

Sic traditum est. Sententiarum nexus docet hoc loco ὥστε esse corruptum. Scribendum enim est ὡς = nam, quam coniecturam fecit Elmsleius (cf. de toto loco adn. Nauckii).

---

[1]) cf. Curtius, Schulgr. p. 303, 304.

§ 3. Quantopere enuntiata consecutiva pondus proprium propriamque vim habeant, si verbo finito ὥστε (ὡς) adicitur, ex iis exemplis dilucidissime cognoscere possumus, ubi ὥστε (ὡς) cum imperativo coniunctum exstat. Tum luculentissime ὥστε genuinum adverbium relativum, quod causas antea allatas complectitur, recognoscimus. [1])

Imperativo si quis utitur, vehementer graviterque expostulat, ut quis quid faciat vel ne faciat. Ac discrimen exstat inter praesentis et aoristi imperativi usum. Praesentis enim imperativus multo maiorem vim habet quam aoristi. Illo significatur res durans, hōc aliquis aliquid statim facere iubetur, nec ratio habetur, utrum etiam futuro tempore idem facere debeat, necne. Ac si quis minus graviter postulat ac fere, ut ita dicam, orat, ut quis quid faciat vel ne faciat, coniunctivum adhortativum adhibitum videmus. Atque coniunctivus, quod attinet ad hanc dicendi rationem, notionem, quae eius propria est, optime servavit. Significat enim voluntatem, quam ad effectum perduci loquentis maxime interest. (cf. Plat., Crit., § 45, B.)

Apud Sophoclem unum tantum exstat exemplum, ubi libri ὥστε cum praesentis imperativo coniunctum praebent:

El. 1171

θνητοῦ πέφυκας πατρὸς, 'Ηλέκτρα, φρόνει·
θνητὸς δ' 'Ορέστης. ὥστε μὴ λίαν στένε.

Iam si omnia exempla, ubi ὥστε (ὡς) cum modis finitis coniunctum est, iterum perlustraverimus, longe plurimis locis illud cum indicativo, multo rarius cum optativo potentiali, perraro cum imperativo iunctum videbimus.

II. Particula ὥστε (ὡς) infinitivo additur.

A. Infinitivi natura substantiva clare existit.

Ac primum quidem dicendum videtur de hoc loco: O. R. 84

τάχ' εἰσόμεσθα· ξύμμετρος γὰρ ὡς κλύειν.

Infinitivus κλύειν re vera existit casus dativus, qui iungendus est cum ξύμμετρος. Dativum autem saepe iungi cum eiusmodi adiectivis, ut ξύμμετρος, σύμφωνος, σύμμαχος, συγγενής, aliis no-

[1]) Similiter atque post ὥστε imperativus legitur post ἐπεί O. C. 969, El. 352 ἐπεὶ δίδαξον, quae eadem verba legimus in Aristoph. Σφηκ. v. 519.

tissimum est. Atque adiectivum ξύμμετρος idem est, quod congruens, conveniens, übereinstimmend, gleiches Mass habend mit. Verba igitur illa genuine significant: congruens est vel congruit cum audiendo, i. e. tam propinquus est, ut eum audire possis.

Exstant etiam apud Sophoclem nonnulla exempla, ubi infinitivo cum ὥστε (ὡς) iuncto inest notio et finalis et consecutiva. Ac praesentis infinitivus exstat post praesentis indicativum El. 355, post perfectum praesens (τέθνηκα = ich bin tot) Ant. 560, post futurum Phil. 460, Trach. 899, [1]) post imperfectum Trach. 373, post aoristi indicativum Ai. 1325, El. 1465, Trach. 1125, quorum locorum primo ὥστε particulae καί (= sogar) additum videmus, ut sententiae vis augeatur. Quod saepe fieri solet, si quis quem monet, aut si quis quid timet; cf. Ant. 280, Phil. 13, 46. — Aoristi infinitivus post ὥστε praegresso praesentis indicativo occurrit: El. 393 et O. R. 1045

ἦ κἄστ' ἔτι ζῶν οὗτος, ὥστ' ἰδεῖν ἐμέ;

Vix recte Nauckius explicasse mihi videtur hunc locum et illum: Trach. 1125 ὦ παγκάκιστε, καὶ παρεμνήσω, γὰρ αὖ
τῆς πατροφόντου μητρὸς, ὡς κλύειν ἐμέ;

Confert enim eos cum talibus, quales sunt: Trach. 141, 1220, Eur. Or. 1298. His locis me quidem iudice notio finalis infinitivi prorsus fere exstincta et infinitivus quasi adverbialiter usurpatus videtur, ut supra intelleximus, at illis infinitivi vis finalis clarissime existit. Ac talibus in exemplis Sophocles, ut Aeschylus, infinitivos praesentis aut aoristi, nusquam futuri adhibuit. —

Pro imperativo infinitivus ὥστε particula socia usurpatus videtur his locis: O. R. 1528 seq.

ὥστε θνητὸν ὄντα κείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
τέρμα βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.

Offendentes viri docti plurimi in verbo ἰδεῖν coniecturas, alii alias, fecerunt. Mihi lectio tradita recte se habere videtur, si infinitivum ὀλβίζειν pro imperativo positum accipimus atque illa verba ita inter se iungimus: ὥστε μηδένα ἐπισκοποῦντα τὴν

[1]) Hic versus: δεινῶς γε πεύσει δ' ὥστε μαρτυρεῖν ἐμοί et qui antecedit a Sophocle abiudicandi sunt. — cf. Nauckii adn. a. h. l.

τελευταίαν ἰδεῖν ὀλβίζειν (= μηδεὶς ἐπισκοπῶν ὀλβιζέτω) θνητὸν ὄντα, πρὶν ἂν . . . . .

Itaque nemo, qui ad diem supremum respicit, beatum praedicato mortalem, priusquam ad finem vitae pervenerit neque calamitatem ullam acceperit. [1])

Phil. 340 οἶμαι μὲν ἀρκεῖν σοί γε καὶ τὰ σ', ὦ τάλας,
ἀλγήμαθ', ὥστε μὴ τὰ τῶν πέλας στένειν.

Neoptolemus se ab Atridis et Ulixe ignominiā obrutum esse narrans Achillem esse mortuum commemorat. Quo nuntio atrocissimo graviter animo turbatus Philoctetes Neoptolemo respondet: nescio, primumne interrogem, quid tu quidem passus sis, an illius sortem deplorem.

Tum hic: „Tuas quidem calamitates tibi sufficere puto, quare ne alienas deplora!

Quibus rebus expositis ad illum infinitivi cum ὥστε coniuncti usum aggrediar, ubi

B. Infinitivus vim consecutivam prae se ferens pro verbo finito usurpatur.

a. pro indicativo ἄν particula non addita.

§ 1. Inspicientibus nobis accuratius paullo exempla, ubi Sophocles infinitivo cum ὥστε (ὡς) coniuncto utitur pro indicativo rem vere factam significante vel quae pro vera a subiecto ponitur, satis constare videtur tum a poeta infinitivum non sine iusta causa usurpatum esse. Tum enim plerumque sententiae longiores nobis occurrunt neque enuntiationem consecutivam intellegere possumus, nisi omnia, quae antecesserunt, accurate cognovimus. Saepe enim tum infinitivus ὥστε adiecto continet, quod nos dicimus: eine innere Begründung. At, si utitur poeta indicativo, sententiae plerumque breves exstant ac per se faciles cognitu atque intellectu, quia simplicissimo modo causa et effectus vel consecutio nobis ante oculos ponuntur. — cf. Ai. 450 seq.

νῦν δ' ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάματος θεὰ
ἤδη μ' ἐπ' αὐτοῖς χεῖρ' ἐπευθύνοντ' ἐμὴν
ἔσφηλεν, ἐμβαλοῦσα λυσσώδη νόσον,
ὥστ' ἐν τοιοῖσδε χεῖρας αἱμάξαι βοτοῖς κτέ.

[1]) Ritterus finem fabulae (v. 1524—1530) subditicium putat, Hartungius hos versus Oedipo tribuit. Sed nonne verba extrema uniuscuiusque fabulae Sophocleae choro tributa sunt?

Quocum loco cf. O. R. 532 τοιόνδ' ἔχεις
τόλμης πρόσωπον, ὥστε τὰς ἐμὰς στέγας
ἵκου·

El. 275 ἡ δ' ὧδε τλήμων, ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ' Ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη.

Atque ut ad ipsa exempla tractanda accedam, corruptum sine dubio videtur illud verbum δεῖσθαι, quod legimus in O. C. v. 570 Θησεῦ, τὸ σὸν γενναῖον ἐν σμικρῷ λόγῳ
παρῆκεν, ὥστε βράχε' ἐμοὶ δεῖσθαι φράσαι.

Nauckius scribi vult βράχε' ἔμοιγ' ἀρκεῖ φράσαι, O. Hensius: φράσαι πάρα. Quae coniecturae laudandae sunt, quod iis indicativus, qui hoc loco me quidem iudice solus aptus est, restitutus est. Atque indicativum praeferendum esse docet v. 573 ὥστ' ἔστι μοι τὸ λοιπὸν κτέ., quo loco similis sensus est atque in v. 570. Sed probandae illae coniecturae mihi non videntur, quia librorum lectionem nimis turbant. Faciliore modo locum sanari puto, si scribimus: ὥστε βράχε' ἐμοὶ δεῖ σοι φράσαι. „Humanitas tua brevi sermone in conspectum prodiit, ut pauca tibi dicere mihi opus sit."

Neque enim offendendum nobis est in dativo ἐμοί, quo usitatior sane accusativus est, si δεῖ cum infinitivo coniungitur. Nonnunquam enim apud scriptores et vinctae et solutae orationis δεῖ cum dativo coniunctum invenitur — cf. O. C. 721.

Hoc loco Vulgata:

νῦν σοὶ τὰ λαμπρὰ ταῦτα δεῖ φαίνειν ἔπη.

Laurentianus codex praebet δή pro δεῖ, quare Nauckius δεῖ cum dativo iungere veritus — quia pauci tales exstant loci — δή recepit. Sed tolerabilis illa lectio mihi videtur; cf. praeterea Eur. Hipp. 940, J. A. 1195 (cf. Hebold p. 45), Xen. Mem. III, 3, 10 εἰ σοὶ δέοι διδάσκειν, An. III, 4, 35, quo loco et dativus et accusativus cum δεῖ coniunctus est. — cf. Rost, p. 516, Anm. 2, c.

Quin etiam χρή, perraro tamen, cum dativo iunctum videmus. cf. Soph. Ant. 736, [1]) Eur. Med. 886, Ion. 1317. Quorum locorum primo codices hanc exhibent lectionem: ἄλλῳ γὰρ ἢ ἐμοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός; Etiam hoc loco coniectura facta est, ne χρή cum dativo exstaret. Mutavit γε in με Dobraeus.

[1]) M. Schmidtius (ed., quae apparuit Jenae, 1880) τῆς γ' ἐμῆς ἄρχειν (πρέπον).

Sed si ita scribimus, nonne tum pro ἐμοὶ scribere debemus ἐμαυτῷ? cf. Ai. 1367 τῷ γάρ με μᾶλλον εἰκὸς ἢ ἐμαυτῷ πονεῖν; Quo loco nisus hanc coniecturam reicio. — Quibus rebus expositis si cui nihilominus illa dicendi ratio ἐμοὶ δεῖ φράσαι dubia videtur, alia interpretandi via se offert, qua coniecturam meam tueri possum. Quid enim obstat, quin ἐμοὶ pro dativo commodi accipiamus? „Itaque opus est pauca tibi dicere mihi i. e. pro me, in meam rem.“ Iam Reisigius ἐμοὶ dativum commodi esse iudicavit. Atque affert duo exempla: Ar. Nub. 110 ἴθ᾽ ἀντιβολῶ σ᾽, ὦ φίλτατ᾽ ἀνθρώπων, ἐμοὶ ἐλθὼν διδάσκου — O. C. 1673, ubi ᾧ τινι traditum est. Sed legendum videtur ὥτινε (Badham, Philol. X, 339).

Illud igitur exemplum (O. C. 570) in eorum numerum referendum videtur, ubi indicativo ὥστε additur. Sed hoc loco tractandum mihi erat, quia infinitivus δεῖσθαι traditus est.

Atque laxius paullo cohaeret infinitivus ὥστε particula adiecta cum primaria sententia, ita, ut prorsus ab ea separari possit his locis: O. C. 1189, El. 780, Trach. 175, 629. Quorum locorum primo ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρῶντά σε

τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ᾽ εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς.

— θέμις εἶναι legimus. Vocabulum θέμις in formula θέμις ἐστίν non declinari docet Aesch. Suppl. 322: πότερα κατ᾽ ἔχθραν ἢ τὸ μὴ θέμις λέγεις, cf. Plat., Gorg. p. 505, Strab., XV., p. 712 — quos locos attulit Schneidewinus. Atque altero loco apud infinitivum οὔτε . . . . οὔτε adhibitum est, quia tota sententia absolute negatur.[1])

Atque quod attinet ad consecutionem temporum, eam optime servatam videmus. Invenimus enim praesentis infinitivum post praesentis indicativum Ai. 792, El. 322 (πέφυκεν idem est, quod ἐστίν), Trach. 1126, Phil. 323, 405,[2]) 650, post aoristi indicativum O. C. 1189, El. 780. Ac praesentis infinitivus positus est his locis, quia consecutio vel effectus usque ad praesens tempus pertinet.

---

[1]) cf. Rost, p. 753, Anm. 3, c. bb.

[2]) ὥστε γιγνώσκειν ὅτι, libri. Blaydes scribi vult: γιγνώσκειν μ᾽ ὅτι, quod probo, cum non habeamus, unde suppleamus subiectum.

Aoristi autem infinitivus legitur praegresso indicativo aoristi: Ai. 450, O. C. 1623, El. 1407, futuri (ac tum aoristi infinitivus futuri sensum habet) El. 984. Praegreditur praesentis indicativus O. R. 1459, quo loco, cur Ritterus: ποτ᾽ ἂν σχεῖν scripserit, non intellego. Nonne librorum lectio tradita ποτὲ σχεῖν plane tolerabilis videtur? Nauckius Ritterum secutus est, Wolffius nihil mutavit.

Ac si verbo, quod animi affectum quendam significat, Sophocles utitur, semper infinitivum adhibet; cf. Ai. 792, El. 393, 1407, Phil. 323.

§ 2. Sequuntur loci, ubi verbum finitum cum negatione coniunctum est. Quod si fit, sensus totius enuntiati est negativus. cf. Ai. 1105

ὕπαρχος ἄλλων δεῦρ᾽ ἔπλευσας, οὐχ ὅλων
στρατηγός, ὥστ᾽ Αἴαντος ἡγεῖσθαί ποτε.[1])

„Als Untergebener anderer segeltest du hierher, nicht als Oberfeldherr aller, so dass du jemals dem Ajax hättest befehlen dürfen.“

O. R. 361 οὐχ ὥστε γ᾽ εἰπεῖν γνωτόν· ἀλλ᾽ αὖθις φράσον· Ad negationem (οὐχ) supplendum est e versu antecedente: οὐχὶ ξυνῆκας πρόσθεν; ἢ ἐκπειρᾷ λέγειν; verbum ξυνῆκα.

Similis sententia exstat ibid. 1131 οὐχ ὥστε γ᾽ εἰπεῖν[2]) ἐν τάχει μνήμης ἄπο,[3]) ubi post (οὐ) negationem supplendum est οἶδα e. v. 1128 τὸν ἄνδρα τόνδ᾽ οὖν οἶσθα τῇδε που μαθών;

Reliqua exempla huius generis sunt: Ai. 1062, 1335, O. R. 594, Ant. 292

οὐδ᾽ ὑπὸ ζυγῷ
λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ.[4]) —

---

[1]) Hi versus pro spuriis habentur a Nauckio, quippe qui eandem fere contineant sententiam, quae versibus praecedentibus prolata est. G. Wolffius ordinem versuum mutavit sic: 1106, 1103, 1104.

[2]) Nauckius pro ὥστε γ᾽ εἰπεῖν scribi vult ὥστ᾽ ἂν εἴποιμ᾽, quod sane melius ad sensum quadrat, sed opus non est, cum infinitivum eodem sensu legamus: O. R. 361.

[3]) ἄπο, cod. Laur. A, ὕπο, Reiskius.

[4]) cf. Wolffii adn. crit. a. h. l.

Ant. 453 οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ᾽, ὥστ᾽ ἄγραπτα[1]) κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ᾽[2]) ὑπερδραμεῖν,

quo loco σε, subiectum infinitivi δύνασθαι, e verbis τὰ σὰ est supplendum.

El. 965, Phil. 1392 οὐδέποθ᾽ ἑκόντα γ᾽ ὥστε τὴν Τροίαν ἰδεῖν, ubi post οὐδέποθ᾽ verbum σώσουσιν e versu antecedente: ἀλλ᾽ ἐκβαλόντες εἶ πάλιν σώσουσ᾽ ὅρα supplemus.

Ant. 1250 γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος, ὥσθ᾽ ἁμαρτάνειν.

Vocabulum γνώμης dependet ab ἄπειρος et ad ἁμαρτάνειν subintellegendum est.[3])

Unum tantum exstat exemplum, ubi non modo verbum finitum, sed etiam infinitivus cum negatione coniunctus est:

Ant. 97 πείσομαι γὰρ οὐ
τοσοῦτον οὐδὲν, ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν.

Sensus est affirmativus: „Certissime decore moriar.“ Atque aoristi infinitivus pro futuri infinitivo usurpatus videtur — cf. Aesch. Prom. 994 seq.; de negatione duplici μὴ οὐ cf. Aesch. Eum. 296. — Ac talibus in exemplis nos germanice coniunctivo uti aut imperfecti aut plusquamperfecti iam supra de talibus exemplis Aeschyleis agens memoravi.

b. Ἄν particula infinitivo cum ὥστε coniuncto addita est quattuor locis. Atque usurpatus est infinitivus manifeste

α. pro aoristi indicativo

El. 755 ἔλυσαν αἱματηρὸν, ὥστε μηδένα
γνῶναι φίλων ἰδόντ᾽ ἂν ἄθλιον δέμας.

„Solverunt cruore foedatum adeo, ut nemo amicorum corpus miserabile agnosset, si illud vidisset.“ Ἄν videlicet iungendum est cum γνῶναι. Simile exemplum hoc Homericum: Il, 638 seq.

[1]) Boeckhius et G. Wolffius: ὡς τἄγραπτα.

[2]) Nauckius in ed. novissima (Berol. 1880) scripsit: θνητὰ φύνθ᾽, ita haec verba pertineant ad κηρύγμαθ᾽.

[3]) Nauckius offendit in verbis γνώμης ἄπειρος et ἁμαρτανειν. Dindorfius hunc versum deleri vult. Bentleius proponit ἄμοιρος pro ἄπειρος.

β. pro optativo potentiali his locis:

O. R. 374 μιᾶς τρέφει πρὸς νυκτὸς, ὥστε μήτ᾽ ἐμὲ,
μήτ᾽ ἄλλον, ὅστις φῶς ὁρᾷ, βλάψαι ποτ᾽ ἄν. —

El. 1316, Trach. 669. — Apud Aeschylum nullum tale exstat exemplum.

c. Quattuor locis infinitivus cum ὥστε coniunctus exstat praegresso optativo potentiali. Infinitivus tum pro optativo mero positus videtur, quia fictionem atque cogitationem loquentis significat. Apud Aeschylum unum occurrit tale exemplum (Prom. 315 seq.). Loci Sophoclei sunt hi: Ai. 1339

ἀλλ᾽ αὐτὸν ἔμπας ὄντ᾽ ἐγὼ τοιόνδ᾽ ἐμοὶ
οὐκ ἀντατιμάσαιμ᾽ ἄν, ὥστε μὴ λέγειν
ἕν᾽ ἄνδρ᾽ ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων, ὅσοι κτέ.

Attamen illum, quamquam tali in me fuit animo, non ita dehonestaverim, ut non concedam a me hunc unum virum fortissimum visum esse omnium Argivorum, quicumque etc. Sensus igitur est positivus: Concedendum tamen mihi est etc. Alter locus est hic:

O. R. 1085 τοιόσδε δ᾽ ἐκφὺς οὐκ ἂν ἐξέλθοιμ᾽ ἔτι
ποτ᾽ ἄλλος,[1]) ὥστε μὴ ἐκμαθεῖν τοὐμὸν γένος.

Sensus et hoc loco positivus: Certe comperiam etc.

Tertio loco, O. C. 602

πῶς δῆτα σ᾽ ἂν πεμψαίαθ᾽ ὥστ᾽ οἰκεῖν δίχα;

ὥστε significationem videtur habere verborum: ea condicione, ut . . .

Repugnare inter se videntur Theseo sententiae Oedipi, quippe qui antea dixerit sibi patricidae nequaquam licere in patriam redire iamque dicat fore, ut filii ipsum redire cogant. Quartus denique locus legitur ibid. 944.

C. Infinitivus cum ὥστε (ὡς) iunctus existit periphrasis subiecti aut obiecti.

Ut in Aeschyleis, ita in Sophocleis fabulis loci nonnulli exstant, ubi infinitivus ὥστε particula socia et subiecti partes agere videtur et obiecti. Nequaquam tum particula opus est. Infinitivus enim plerumque tum post talia verba invenitur, post

[1]) cf. Nauckii adn. a. h. l.

qualia nudi infinitivi constructio multo est usitatior. Ac nos vertentes talia exempla in nostram linguam aptissime merum adhibebimus infinitivum.

a. Subiecti periphrasis videtur infinitivus cum ὥστε iunctus his locis quattuor:

El. 1454: πάρεστ' ἄρ' ἡμῖν ὥστε κἀμφανῆ μαθεῖν;

Phil. 656: ἆρ' ἔστιν ὥστε κἀγγύθεν θέαν λαβεῖν
καὶ βαστάσαι με προσκύσαι θ' ὥσπερ θεόν;

Quorum locorum primo πάρεστιν idem significat, quod ἔξεστιν, altero ἔστιν, quod οἷόντέ ἐστιν. Idem significat ἔστιν hoc loco Euripideo:

Hippol. 705 ἀλλ' ἔστι κἀκ τῶνδ' ὥστε σωθῆναι, τέκνον.

Plerumque autem nudum infinitivum adhibitum videmus, si praegreditur ἔξεστιν vel. ἔστιν, cf. Ai 1328, O. C. 1677. Tertio loco, Trach. 1152, ὥστε c. inf. exstat post συμβαίνειν. Post idem verbum ὥστε c. inf. adhibuit Thucydides. cf. Thuc. IV, 79, V, 14. — Quarto denique loco, O. C. 970

ἐπεὶ δίδαξον, εἴ τι θέσφατον πατρὶ
χρησμοῖσιν ἱκνεῖθ', ὥστε πρὸς παίδων θανεῖν,
πῶς ἂν δικαίως τοῦτ' ὀνειδίζοις ἐμοί;

infinitivus cum ὥστε iunctus appositio est subiecti τὶ θέσφατον.

b. Obiecti periphrasis est infinitivus ὥστε (ὡς) adiecto his locis:

O. C. 1353, ubi δικαιοῦν praecedit:
Θησεύς, δικαιῶν ὥστ' ἐμοῦ κλύειν λόγους κτέ.

Phil. 901, ubi πείθειν praegreditur.

Nec raro post verba efficiendi ὥστε (ὡς) c. inf. invenitur. Apud Aeschylum duo exstare exempla eiusmodi vidimus, cf. Pers. 714, Eum. 878. Apud Sophoclem unum occurrit: Ant. 303.

ὅσοι δὲ μισθαρνοῦντες ἤνυσαν τάδε,
χρόνῳ ποτ' ἐξέπραξαν ὡς δοῦναι δίκην.

Adverbium ὧδε antecedens explicat ὥστε c. inf.

Trach. 490 ἀλλ' ὧδε καὶ φρονοῦμεν ὥστε ταῦτα δρᾶν.

Huc denique referenda puto haec exempla: O. C. 300 ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ τιν' ἐντροπὴν ἢ φροντίδ' ἕξειν, ὥστ' ἐλθεῖν πέλας; ibid. 385 ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ' ὡς ἐμοῦ θεοὺς ὤραν τιν' ἕξειν, ὥστε σωθῆναί ποτε; In primo exemplo ὥστε c. inf. explicat vocabula ἐντροπὴν ἢ φροντίδ', in altero alter infinitivus, cui ὡς additum est, verba ἐλπίδ' ἔσχες, alter, cui ὥστε adiectum est, vocabulum ὤραν. Post eandem locutionem ἐλπίδα ἔχειν legimus ὥστε c. inf. in Eur. Or. v. 52.

Cap. III.

De ὥστε, ὡς particularum usu Euripideo.

Restat, ut de ὥστε (ὡς) particulae usu, qualis fuerit apud Euripidem, agam. Atque hic quidem poeta, sicut Aeschylus, longe plurimis locis particulam cum infinitivo iunxit. Nam de centum quadraginta septem locis, qui mihi occurrerunt, viginti quattuor tantum modum finitum, centum viginti tres infinitivum praebent. Atque cum modo finito coniungens ὥστε Euripides indicativo semper fere usus est. Singulis enim locis optativum potentialem et imperativum adhibuit — Or. 379, El. 955.

Duobus locis, Hec. 855, I. A. 418, optativus merus post ὥστε invenitur, — id quod apud Aeschylum et Sophoclem non observavimus. Atque uno tantum loco, Bacch. 713, ὥστε cum indicativo temporis praeteriti ἄν particula addita exstat. Nec saepius quam semel tantum ἄν infinitivo additum videmus apud eundem poetam ὥστε praegresso, cf. Phoen. 1344 (quo loco infinitivus exstat pro indic. temp. praet.). Atque quomodo ὡς particulae usus consecutivus rarior factus sit, e fabulis Euripideis dilucide apparet. Apud Aeschylum, ut vidimus, saepe sane hic usus ὡς particulae exstat, rarius invenitur apud Sophoclem, rarissime — quinque tantummodo locis — apud Euripidem. Loci sunt hi: Herc. Fur. 291, Hec. 346, ubi modus finitus, I. T. 300[1]) Cycl. 648, Suppl. 204[2]) ubi infinitivus sequitur.

[1]) Marklandus, Weilius, Wecklinius, Kirchhoffius, Koechlius scripserunt: ὥσθ' αἱματηρὸν pro lectione tradita ὡς αἱματηρὸν. Nauckius ὡς servavit summo iure. — Adnoto etiam excepisse me in enumerandis his locis, ubi ὡς c. inf. exstat, illa exempla, quae ut formulae certae inveniuntur; cf. p. 35. In iis semper ὡς legitur.

[2]) Codicum lectio γλῶσσαν λόγων δοὺς ὥστε γινώσκειν ὄπα corrupta est. Iacobsius et Wakefieldus scripserunt ὡς γεγωνίσκειν, quam lectionem editores recentiores receperunt.

Reliquis autem locis, ubi libri ὡς exhibent, lectio corrupta est et ὥστε scribendum videtur. Hic habes locos: Alc. 359, ubi libri ὡς τὴν κόρην exhibent. Recte Reiskius[1]) verba coniecit in ὥστ' ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν κτέ. El. 667 codices praebent: ὡς ταῦτα γ' ἐκ σοῦ στόματος εἰρῆσθαι δοκεῖν, quae verba Elmsleius, quem secuti sunt editores recentiores, correxit in: ὥστ' αὐτὰ γ' ἐκ κτέ. Atque ὡς inde ab illo tempore enuntiatis finalibus tributum est, ὥστε consecutivis remansit. Porro illud memorandum videtur, quod apud Euripidem — apud Aeschylum et Sophoclem hic usus non exstat — locis paucis ὥστε comparativum vel positivum, qui habet comparativi notionem, sequitur, — quem usum apud scriptores pedestres frequentissimum esse constat. Denique locis duobus infinitivus cum ὥστε coniunctus manifeste condicionem videtur significare, ut vertamus: ea condicione, ut . . unter der Bedingung, dass . . . quem usum et ipsum apud scriptores pedestres late patere notissimum est. Sed accuratius de his exemplis paullo infra agam, si ad ea tractanda pervenero. Quare hoc loco rem tetigisse satis habeo.

Praemissis, quae in universum de usu particulae ὥστε Euripideo dicenda mihi erant, iamiam ad exempla tractanda aggrediar.

I. Modis finitis ὥστε adiungitur.

Ut apud Sophoclem, ita apud Euripidem dilucide videre possumus, quantopere enuntiationes consecutivae, in quibus ὥστε modis finitis additur, vim propriam suumque pondus habeant. Haud raro enim a primaria sententia plane seiungi possunt. Interdum re vera seiunctae sunt. Ac loci, ubi interpunctio maior ante enuntiationem consecutivam posita est, ut ipsa existat sententia primaria, sunt hi: Alc. 404, Bacch. 712, Hec. 346, El. 953,[2]) Herc. Fur. 598, frgm. 46.

§ 1. Indicativus exstat post ὥστε.

Tum sermo est de re aut vere facta vel quae vere fit, aut de re, quae pro vera ponitur e loquentis libero iudicio.

Atque legitur in enuntiatione consecutiva

[1]) cf. Reiske, animadv. ad Eurip., p. 33.

[2]) Codices: ὧδε, quod recte emendavit Stobaeus in ὥστε.

a. praesens tempus

α. post praesens tempus:

Hippol. 634 ἔχει δ' ἀνάγκην[1]) ὥστε κηδεύσας καλοῖς
γαμβροῖσι χαίρων σώζεται πικρὸν λέχος κτέ.

Med. 569, Or. 1114, frgm. 46, 499. Ac perfectum, quod statum significat, qui factum sequitur, legimus post praesentis indicativum Alc. 404, Or. 91.

β. Aoristus praecedit ac plane separari potest enuntiatio consecutiva a primaria sententia: Herc. Fur. 289

σὲ μὲν δόκησις ἔλαβεν εὐκλεὴς δορός,
ὥστ' οὐκ ἀνεκτὸν δειλίας θανεῖν σ' ὕπο.

b. praeteritum tempus.

Cum aoristo ὥστε coniunctum est praecipue aoristo praecedente in narrationibus — cf. Herc. Fur. 598, Hippol. 1207, Cycl. 159, Phoen. 364.

Praecipue autem digna sunt, quae commemorentur, exempla illa, ubi ὥστε c. indic. invenitur post locutiones eiusmodi: εἰς τοῦτο ἀμαθίας, μωρίας, ἀλγηδόνος ἐλθεῖν, ὥστε . . eo vecordiae, stultitiae, doloris progredi, ut . . . Tum sententia consecutiva magnitudinem vel gradum indicat, quousque res aliqua pertineat.

Talia exempla sex apud Euripidem mihi occurrerunt: El 918, Med. 56, 371, 569, Phoen. 361 seq., Troad. 971, quo de loco et illo, quem legimus in Phoen. v. 1612, uberius paullo mihi est disserendum.

Troad. 971 seq. ἐγὼ γὰρ Ἥραν παρθένον τε Παλλάδα
οὐκ εἰς τοσοῦτον ἀμαθίας ἐλθεῖν δοκῶ,
ὥσθ' ἡ μὲν Ἄργος βαρβάροις ἀπημπόλα,
Παλλὰς δ' Ἀθήνας Φρυξὶ δουλεύειν ποτέ.

„Ego enim Iunonem virginemque Palladem non eo dementiae progressas esse puto, ut illa quidem barbaris Argos, Pallas autem Phrygibus Athenas aliquando servituras vendiderit.“

Phoen. 1612 seq. οὐ γὰρ τοσοῦτον ἀσύνετος πέφυκ' ἐγώ,
ὥστ' εἰς ἔμ' ὄμματ' εἰς τ' ἐμῶν παίδων βίον
ἄνευ θεῶν του ταῦτ' ἐμηχανησάμην.

„Neque enim tam amens sum, ut in meos oculos et in filiorum meorum vitam sine deo haec comminiscerer.“

[1]) Heimsoethius offendit in verborum iunctura: ἔχει δ' ἀνάγκην ὥστε et scribi vult: ἔχει δ' ἀνάγκην πᾶς ὁ κηδεύσας κεδνοῖς κτέ.

Utroque loco ὥστε cum *indicativo* coniunctum est *praegressa sententia negativa*. At semper infinitivum adhibuerunt talibus in exemplis Aeschylus et Sophocles, ut supra vidimus (cf. p. 46 seq., p. 65, seq.). Ne Euripides quidem saepius quam his duobus locis indicativo usus est; atque infinitivum tum apud eum longe praevalere infra paullo intellegemus.

Sed ex eo, quod Euripides his in exemplis indicativum adhibuit, dilucidissime videmus infinitivum tum positum esse pro indicativo. Nos haec exempla in nostram vertentes linguam utimur coniunctivo plusquamperfecti.

c. *futurum tempus*:

Bacch. 971 δεινὸς σὺ δεινὸς κἀπὶ δείν᾽ ἔρχει πάθη,
ὥστ᾽ οὐρανῷ στηρίζον εὑρήσεις κλέος.

Hec. 346, ubi ὡς exstat.

Ut apud Sophoclem, ita apud Euripidem unum tantum mihi occurrit exemplum ubi ἄν *particula addita est indicativo temporis praeteriti post* ὥστε. Quo in exemplo sententia consecutiva est simul apodosis periodi hypotheticae.

Bacch. 712 ὥστ᾽, εἰ παρῆσθα, τὸν θεὸν, τὸν νῦν ψέγεις,
εὐχαῖσιν ἂν μετῆλθες εἰσιδὼν τάδε.

§ 2. *Optativo* ὥστε *adicitur.*

a. *Optativo potentiali* ὥστε (ὡς) adiunctum est duobus locis: Herc. Fur. 290 seq., Or. 377, ubi ἄν bis positum est. — cf. Soph. El. 333, O. R. 857, 1438.

b. *Optativus merus* ὥστε praegresso invenitur et ipse duobus locis apud Euripidem, cum apud Aeschylum et Sophoclem non exstet. Quorum locorum primo

Hec. 854 εἴπως φανείη γ᾽ ὥστε σοί τ᾽ ἔχειν καλῶς
στρατῷ τε μὴ[1]) δόξαιμι Κασάνδρας χάριν
Θρῄκης ἄνακτι τόνδε βουλεῦσαι φόνον.

et infinitivus et optativus merus post ὥστε exstat. Atque optativus δόξαιμι nititur optativo praegresso φανείη. Est igitur per assimilationem modorum positus vimque habet ac notionem, quae est optativi propria. Qua de vi praeclare L. Langius[2]) sic disserit: „Der Optativus ist der Modus der Einbildungskraft. Ueberall, wo er erscheint, entspringt er der Thätigkeit der Phantasie, Einbildungskraft.“

[1]) μὴ usurpatum est, quia optativus optatum exprimens antecedit.
[2]) cf. L. *Lange*, d. hom. Sprachgebr. d. Part. εἰ p. 38 und 88.

Ac semper fere poetas tragicos talibus in enuntiatis infinitivo usos esse et iam supra commemoravi et ex illo ipso exemplo clare apparet, ubi infinitivus ἔχειν antecedit optativum δόξαιμι. Infinitivus sequitur optativum optatum exprimentem apud Euripidem etiam hoc loco: Rhes. 859 μὴ μ᾽ ἔρως ἕλοι τοιοῦτος ἵππων ὥστ᾽ ἀποκτείνειν φίλους.

Alter locus, ubi post ὥστε optativus merus libris praebetur, hic est: I. A. 417 seq.

μήτηρ δ᾽ ὁμαρτεῖ σῆς Κλυταιμνήστρας δέμας
καὶ παῖς ᾽Ορέστης, ὥστε τερφθείης ἰδὼν
χρόνον παλαίων δωμάτων ἔκδημος ὤν.

Hoc loco et ipso optativus fictionem meram significat. Hennigius optativum potentialem scribendum putans sic legi vult: ὥστ᾽ ἂν ἡσθείης.[1]) Concedo sane optativo pure posito rarissime post ὥστε usos esse scriptores ac semper id fecisse, si praecederet optativus. Attamen hoc loco lectionem traditam, quippe quae sit tolerabilis, servari malim. Neque Nauckius mutavit quidquam.

§ 3. *Imperativo* adiunctum videmus ὥστε uno loco Euripideo:

El. 953 ὥστε τις κακοῦργος ὢν
μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ᾽ ἐὰν δράμῃ καλῶς,
νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν τέλος,
γράμμης ἵκηται καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

Codices praebent: ὧδε. Primus scripsit Stobaeus ὥστε, quod multo est aptius hoc loco. Nauckius ὥστε in textum recepit.

II. Infinitivo ὥστε additum est.

A. *Substantiva infinitivi genuina natura existit.*

Infinitivus cum ὥστε particula coniunctus vim et finalem et consecutivam prae se ferens, ut finalis notio praevaleat, saepe apud Euripidem nobis occurrit.

Ac praesentis infinitivus exstat praegresso praesentis indicativo

Suppl. 1228 σὺ γάρ μ᾽ ἀνορθοῖς, ὥστε μὴ᾽ ξαμαρτάνειν.

Rhes. 665. Optativus potentialis praecedit Phoen. 506 seq., (ubi τάδε ad praecedentia pertinet).

[1]) G. Hermannus scribi vult: ᾧ γε τερφθείης.

Aoristi infinitivus post ὥστε legitur: Suppl. 66, 1111, I. A. 1604, Ion. 1596, Cycl. 217.

I. A. 1604 πέμπει δ᾽ Ἀγαμέμνων μ᾽ ὥστε σοι φράσαι τάδε κτέ.

Quo loco, cum vis infinitivi finalis clarissime praevaleat, Weilius[1]) enuntiatione finali opus esse verbaque illa: ὥστε . . . φράσαι corrupta ratus est. At non corrupta sunt. Nonne alia multa eiusmodi exempla exstant? Nonne libri ὥστε . . . φράσαι praebent?

Perfecto praecedente aoristi infinitivus exstat post ὥστε Herc. Fur. 1241

τοιγὰρ παρεσκευάσμεθ᾽ ὥστε κατθανεῖν.

Hippol. 717, frgm. 430.

Coniunctivus dubitativus praegreditur

I. A. 355 τί δράσω; τίν᾽ ἀπορῶν ἕυρω πόρον,
ὥστε μὴ στερέντας ἀρχῆς ἀπολέσαι καλὸν κλέος;

In vertendo hoc loco quo clarior meliorque eluceat sensus, utemur finali sententia: Quid faciam? Quam viam in rerum angustiis inveniam, ne . . . . . amittant gloriam praeclaram?

Futurum tempus praecedit ac sequitur ὥστε

a. cum praesentis infinitivo

El. 1256 εἴρξει γάρ νιν ἐπτοημένας
δεινοῖς δράκουσιν, ὥστε μὴ ψαύειν σέθεν —

quo loco et ipso finalis infinitivi vis longe praevalet. „Prohibebit enim (scl. Minerva) metu conturbatas draconibus atrocibus, ne te tangant.“ — Praeterea cf. Hipp. 48 seq., I. T. 604.

b. cum aoristi infinitivo Alc. 854, Hel. 841, 1284, Phoen. 170.

Post praeteritum tempus ὥστε legimus cum infinitivo

a. aoristi: Hec. 248 Ἑκ. τί δῆτ᾽ ἔλεξας δοῦλος ὢν ἐμὸς τότε;
Ὀδ. πολλῶν λόγων εὑρήμαθ᾽ ὥστε μὴ θανεῖν.

Hel. 416, Heracl. 880, Phoen. 992, 1440.

b. praesentis: El. 1019

ἡμᾶς δ᾽ ἔδωκε Τυνδάρεως τῷ σῷ πατρὶ
οὐχ᾽ ὥστε θνήσκειν οὐδ᾽ ἃ γειναίμην ἐγώ —

et fragm. 582.

Huic locorum generi adiungo ea exempla, ubi ὥστε c. inf. post comparativum vel positivum, qui habet comparativi notionem, usurpatum invenimus. Atque huc pertinere

[1]) cf. Weilii ed., quae apparuit Parisiis, 1868, p. 431.

haec exempla apparet. Infinitivus enim etiamtum vim habet finalem; ac res significatur, quae non apta est ad finem quendam.[1]) Unde sequitur, ut tum semper post ὥστε infinitivus locum suum habeat, non modus finitus.

cf. Androm. 80 γέρων ἐκεῖνος, ὥστε σ᾽ ὠφελεῖν παρών.
„Senior ille, quam ut iuvet te praesens.
Jener ist zum Zweck der Hülfe zu alt.“

Apud Aeschylum et Sophoclem talia exempla frustra quaeras; apud Euripidem pauca sane repperi. Multo autem saepius apud scriptores pedestres hic usus nobis occurrit. Atque exstat discrimen inter hos et Euripidem. Hic enim ἤ post comparativum omisit. Quod, quantum scio, apud illos non fit, — cf. Thuc. I, 84, VIII, 46 — plerumque autem fieri solet, si positivus cum comparativi notione praegreditur.[2]) Ac tum interdum non solum ἤ, sed etiam ὥστε omittitur — cf. Thuc. II, 61: ταπεινὴ ὑμῶν ἡ διάνοια ἐγκαρτερεῖν, ἃ ἔγνωτε.

Atque, ut ad exempla ipsa Euripidea veniam, hoc uno tantum loco ὥστε c. inf. sequitur comparativum:

Bacch. 842 πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ[3]) ᾽γγελᾶν Βάκχας ἐμοί — ubi μή infinitivo abundanter additum est. Reliquis locis gradus positivus cum vi comparativi exstat:

Andr. 80, Or. 1055 ὁρᾷς δὲ δὴ φίλων
ὡς ἐσπανίσμεθ᾽, ὥστε κοινωνεῖν τάφου.
Du siehst, wir haben zu wenig Freunde,
um ein gemeinsames Grabmal zu haben.

Phoen. 1358 οὐ μακρὰν γὰρ τείχεων περιπτυχαί,
ὥστ᾽ οὐχ ἅπαντα σ᾽ εἰδέναι τὰ δρώμενα.

Saepius autem Euripides post comparativum ἤ c. inf. (ὥστε particula omissa) adhibuit — cf. Alc. 230, Hec. 1107, Heracl. 1029, Herc. Fur. 1313, Suppl. 844, Med. 675, Bacch. 747, 1285 (quos locos omnes fere iam congessit Heboldius).[4]) Apud Aeschylum et Sophoclem haec structura sola exstat; cf. Soph. O. R. 1293.

Huc denique pertinent exempla, — inest enim in his quoque vis finalis infinitivo — ubi ὥστε c. inf. usurpatur ad con-

[1]) cf. Rost, p. 411, Zus. 5.
[2]) cf. Rost, p. 411, Anm. 6 und p. 412.
[3]) Bothius ὥστε μή corruptum putans scribi vult: ἔστιν ἤ.
[4]) cf. Hebold, p. 29, 30.

dicionem significandam. Vertimus autem tum ὥστε „unter der Bedingung, dass . . . ea condicione, ut . . . Duo eiusmodi exstant exempla:

Phoen. 476 seq.

ἐξῆλθον ἔξω τῆσδ᾽ ἑκὼν αὐτὸς χθονός,
δοὺς τῷδ᾽ ἀνάσσειν πατρίδος ἐνιαυτοῦ κύκλον,
ὥστ᾽ αὐτὸς ἄρχειν αὖθις ἀνὰ μέρος λαβὼν κτἑ.

Exii ex hac terra sponte mea concedens huic patriam, ut regeret per anni orbem, ea condicione, ut ipse rursus per vices imperium acciperem . . .

Altero loco haec particulae significatio eo fit clarior, quod verbum ξυμβαίνειν antecedit:

Phoen. 590 seq.

οὐ γὰρ ἂν ξυμβαῖμεν ἄλλως ἤ᾽ πὶ τοῖς εἰρημένοις,
ὥστ᾽ ἐμὲ σκήπτρων κρατοῦντα τῆσδ᾽ ἄνακτ᾽ εἶναι χθονός.

Frequentissimus hic usus apud scriptores solutae orationis, praecipue apud Xenophontem. Ac verbum paciscendi vel substantivum similis notionis praegredi solet apud Thucydidem:

συμβαίνειν Thuc. IV, 46, V, 61.
συγχωρεῖν Thuc. V, 17, 116, VIII, 93.
σπένδεσθαι Thuc. VI, 7.
σπονδὰς ποιεῖσθαι Thuc. VII, 86.
ξυμμαχίαν ποιεῖσθαι Thuc. III, 114, V, 27.

Alia exempla attulit Wildius (p. 12).

Pro imperativo infinitivus ὥστε particula socia apud Euripidem nullo loco usurpatus est.

Sequuntur iam loci, ubi

B. Infinitivus cum ὥστε coniunctus vim consecutivam habens pro verbo finito adhibetur.

a. pro indicativo αν particula non addita.

§ 1. Permulta exstant eiusmodi exempla, quae, cum facilia sint intellectu, brevissime tractare licebit. Ac proferuntur res vere factae vel quae vere fiunt aut quae a subiecto pro veris ponuntur. Interdum sententiae consecutivae a primaria sententia plane seiungi possunt — cf. Andr. 152, Bacch. 284, Hec. 730, El. 240, I. A. 691. Quibus locis praesentis indicativum sequitur praesentis infinitivus. Idem animadvertimus his locis: Hel. 1269, El. 273, Heracl. 675, I. A. 1435, Cycl. 648, Or. 428, Phoen.

1310, frgm. 21, 442. Infinitivus perfecti, statum significantis, qui factum sequitur, exstat post ὥστε: Troad. 270.

Aoristi infinitivus cum notione futuri infinitivi legitur Hippol. 822. — Reliqua exempla sunt: Hec. 340, El. 425, I. A. 326. Pro praesentis infinitivo usurpatus videtur aoristi infinitivus Or. 608. — Post futurum tempus legimus praesentis infinitivum cum futuri notione El. 667

Ἠλ. ἔπειτ᾽ ἀπαντῶν μητρὶ τἀπ᾽ ἐμοῦ φράσον.
Πρ. ὥστ᾽ αὐτὰ γ᾽ ἐκ σοῦ στόματος εἰρῆσθαι δοκεῖν.

Futurum φράσω ante ὥστε subintellegendum est. Alter locus est hic: Med. 625

νύμφευ᾽· ἴσως γάρ, σὺν θεῷ δ᾽ εἰρήσεται,
γαμεῖς τοιοῦτον, ὥστε σ᾽ ἀρνεῖσθαι [1]) γάμον.

„Tales celebrabis nuptias, ut eas tu ipse recusaturus sis.“ Praeterea cf. Troad. 910, frgm. 1053.

Aoristi infinitivus cum notione futuri post futurum subintellegendum exstat Or. 1122

Πυ. γόους πρὸς αὐτὴν θησόμεσθ᾽ ἃ πάσχομεν.
Ὀρ. ὥστ᾽ ἐνδακρῦσαι γ᾽ ἔνδοθεν κεχαρμένην.

Atque aoristi infinitivus legitur praegresso tempore praeterito: Bacch. 1304, Hec. 246, El. 1216, Heracl. 129, Suppl. 710, Hipp. 813, I. A. 444, I. T. 935, 1378, Rhes. 845, Phoen. 1167, 1181, frg. 899.

Ac praesentis infinitivus praegresso imperfecto legitur:

Hipp. 1226 seq. κεἰ μὲν εἰς τὰ μαλθακὰ
γαίας ἔχων οἴακας εὐθύνοι δρόμον,
προὐφαίνετ᾽ εἰς τοὔμπροσθεν, ὥστ᾽ ἀναστρέφειν,
ταῦρος φόβῳ τέτρωρον ἐκμαίνων ὄχον.

I. A. 1160, Phoen. 1386. — Quibus locis imperfectum rem saepius repetitam significat. Itaque etiam ὥστε c. inf. idem significat.

Ac si praesentis infinitivus sequitur tempus praeteritum, hoc fit, ut sermo vigore crescat, aut, quod consecutio vel effectus usque ad praesens tempus pertinet.

α. Res praeteritae ita proferuntur, quasi praesenti tempore fiant: Hel. 1606

Μενέλεως δ᾽ ἔχων ὅπλα,
ὅπῃ νοσοῖεν ξύμμαχοι κατασκοπῶν,

---

[1]) Prinzius: ὥστ᾽ ἐπαύρεσθαι γάμον.

ταύτῃ προσῆγε χειρὶ δεξιᾷ ξίφος,
ὥστ᾽ ἐκκολυμβᾶν ναός·

I. T. 300, ubi praegreditur praesens historicum, ibid. 1369 ubi et praesentis et aoristi infinitivus exstat.

β. Consecutio usque ad praesens tempus pertinet Hec. 250, ubi subiectum με infinitivi εἰσορᾶν subaudiendum est: Ἑκ. ἔσωσα δῆτα σ᾽ ἐξέπεμψά τε χθονός; Ὀδ. ὥστ᾽ εἰσορᾶν γε φέγγος ἡλίου τόδε.

Hel. 107 Ἑλ. ἤδη γὰρ ἧπται καὶ κατείργασται πυρί;
Τευ. ὥστ᾽ οὐδ᾽ ἴχνος γε τειχέων εἶναι σαφές.

„Iamne enim incensa ac diruta est igni (Troia)?
Ita, ut ne vestigium quidem murorum appareat.“ Hoc loco οὐδ᾽ usurpatur, quia haec negatio ad substantivum ἴχνος solum, non ad infinitivum pertinet. Reliqui loci sunt hi: Alc. 1084, Suppl. 204, Phoen. 772, 1124 seq., ubi Polynicis clipeus describitur.

Denique adnotem Euripidem, ut Sophoclem, ὥστε cum verbo, quod animi affectum significat, coniungentem usum infinitivi praetulisse, cf. Alc. 1084, Hec. 341, 589, 730, El. 240, I. A. 1435, Or. 608, 1122, Phoen. 772, 1181, 1344.

§ 2. Sequuntur loci, ubi verbo sententiae primariae particula negativa vel vocabulum negativum additur. Atque etiam ex omnibus fere his exemplis clare videmus ὥστε c. inf. ad verbum ipsum, non ad negationem pertinere. Ac sensus totius enuntiati est negativus; nos autem germanice coniunctivo uti imperfecti vel plusquamperfecti iam identidem commemoravi. Loci sunt hi: Alc. 211, Bacch. 452, Hec. 743, Hel. 407, Suppl. 518, 581, 875 (quo de loco iam supra (p. 47) disputavi, Hippol. 390, I. A. 951, I. T. 1326, [1]) οὐ γὰρ ἀγχίπλουν πόρον φεύγουσιν, ὥστε διαφυγεῖν τοὐμὸν δόρυ. Troad. 971, Phoen. 963, 1327, Med. 307, ubi legimus:

οὐχ ὧδ᾽ ἔχει μοι, μὴ τρέσῃς ἡμᾶς, Κρέον,
ὥστ᾽ εἰς τυράννους ἄνδρας ἐξαμαρτάνειν.

Hoc loco verba μὴ τρέσῃς ἡμᾶς per parenthesin dicta esse existimo atque coniungenda verba inter sese ita: οὐχ ὧδ᾽ ἔχει μοι, ὥστ᾽ κτέ.

[1]) Corrupta sunt verba ἀγχίπλουν πόρον. Hesychius ex hoc versu affert ἀγχίπους. Itaque G. Hermannus verisimilius putat ἀγχίπουν scripsisse poetam; quod facile in ἀγχίπλουν, praesertim cum de navigatione sermo esset, librarius mutare potuit.

Et verbum finitum et infinitivus coniungitur cum negativa particula ita, ut totius enuntiationis sensus sit affirmativus, hoc loco: Herc. Fur. 326

οὐ γὰρ ἀλκὴν ἔχομεν ὥστε μὴ θανεῖν.

Sensus est: „Certe nobis moriendum est.“

b. Particula ἄν addita est infinitivo cum ὥστε coniuncto uno tantum loco Euripideo: Phoen. 1344

ὥστ᾽ ἂν δακρῦσαι γ᾽, εἰ φρονοῦντ᾽ ἐτύγχανεν.

Sententia consecutiva est apodosis periodi hypotheticae et infinitivus pro indicativo temporis praeteriti usurpatus est.

c. Invenitur ὥστε c. inf. praegresso optativo

α. mero Rhes. 859

β. potentiali Hec. 589

καὶ νῦν τὸ μὲν σόν, ὥστε μὴ στένειν, πάθος
οὐκ ἂν δυναίμην ἐξαλείψασθαι φρενός.

Nos hoc loco ὥστε μὴ optime aptissimeque vertemus: „ohne zu.“ „Und nun könnte ich die Erinnerung an Dein Leid nicht, ohne zu seufzen, aus dem Geiste tilgen.“ Reliqui loci sunt hi: Hippol. 960, ubi ἄν bis positum est, I. T. 1017.

Denique pro verbo finito usurpatus videtur infinitivus post ὥστε, si enuntiatio conditionalis praegreditur. Tum sententia consecutiva et ipsa sensum praebet conditionalem: Alc. 359 seq. εἰ δ᾽ Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,

ὥστ᾽ ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντα [1]) σ᾽ ἐξ᾽ Ἅιδου λαβεῖν,
κατῆλθον ἄν κτέ.

Praeterea cf. ibid 1072, Herc. Fur. 235, Hippol. 1333. — Hec. 854 (cf. p. 72).

Nec desunt exempla apud Euripidem, ubi

C. Infinitivus ὥστε particula socia existit periphrasis et subiecti et obiecti.

a. Subiecti partes agere videtur ὥστε c. inf. his locis: Hippol. 705 ἀλλ᾽ ἔστι κἀκ τῶνδ᾽ ὥστε σωθῆναι, τέκνον.

Quod verbum ἔστιν = ἔξεστιν plerumque cum nudo infinitivo ὥστε non adiecto poeta coniunxit. [2]) I. A. 916

[1]) De accusativo κηλήσαντα praegresso dativo μοι cf. Rost, § 127 q. 703. Anm. 2.

[2]) cf. Hebold, p. 46 seq.

δεινὸν τὸ τίκτειν καὶ φέρει φίλτρον μέγα,
πᾶσιν τε κοινὸν[1]) ὥσθ᾽ ὑπερκάμνειν τέκνων.

Utroque loco ὥστε nequaquam opus esse apparet.

b. Obiecti periphrasis infinitivus ὥστε addito exstat Alc. 297

ἀλλὰ ταῦτα μὲν
θεῶν τις ἐξέπραξεν, ὥσθ᾽ οὕτως ἔχειν.

Verba ὥσθ᾽ οὕτως ἔχειν appositionis instar explicant illud ταῦτα. Saepius apud Euripidem pronomen vel adiectivum praecedit infinitivum epexegeticum. Sed semper fere tum nudus infinitivus ὥστε non adiecto invenitur.[2])

Porro infinitivus cum ὥστε coniunctus pendet a verbo πείθειν Hel. 1039, I. A. 1212 seq. (cf. p. 68), ἐθέλειν[3]) Hippol. 1327, ἐφευρίσκειν Alc. 699

σοφῶς δ᾽ ἐφεῦρες ὥστε μὴ θανεῖν ποτε.

Atque Thucydides praecipue post πείθειν ὥστε c. inf. adhibuit — cf. Thuc. III, 31, 66, 70, 75, 100, 102, V, 16, 35, VIII, 5, 63, 86.

Neque Herodotus hanc dicendi rationem sprevit — cf. Her. VI, 5, VII, 6.

Post verbum similis notionis ἐνάγειν legimus ὥστε c. inf. Her. IV, 145.

Or. 52 legimus: ἐλπίδα δὲ δή τιν᾽ ἔχομεν, ὥστε μὴ θανεῖν.

Miretur hoc loco forsitan quispiam, quod post ἐλπίδ᾽ ἔχειν = ἐλπίζειν non futuri, sed aoristi infinitivus invenitur.

Sed aoristi infinitivus pro futuri infinitivo apud Euripidem compluribus locis legitur praecedente verbo sperandi; cf. Herc. Fur. 746, I. T. 1016, Ion. 348, Hel. 433, Herc. 144, Or. 779, Andr. 28. Etiam praesentis infinitivus invenitur cf. Alc. 146, Andr. 720, Or. 1070.

Reliquis autem locis futuri infinitivus post eiusmodi locutiones legitur — quibus locis omnibus merus adhibetur infinitivus.

Denique appositio obiecti antecedentis ὥστε c. inf. existit Hippol. 1338.

---

[1]) De adiectivis cum infinitivo subiecti munere fungente coniunctis cf. Hebold, p. 50 seq.

[2]) cf. Hebold, p. 37 seq.

[3]) De nudo infinitivo a verbis πείθειν, ἐθέλειν, aliis pendente cf. Hebold, p. 59, 66.

VITA.

Natus sum Maximilianus Otto Iulius Hermannus Fellmann a. d. VI. Kal. Sept. a. h. s. LVIII in vico Zieserwitz prope urbem Neumarkt sito patre Iulio, matre Augusta e gente Weiss, quos adhuc vivos debita prosequor pietate. Fidem profiteor evangelicam. Prima elementa domi didici in ludo litterario, cui pater meus praeest. Puer decem annorum scholam regiam Boleslaviae adire coepi eamque per quinque annos vv. ill. Schneidero et Lang rectoribus frequentavi. Unde Lahnam transgressus in schola privata, cui tum praeerat C. Pirscher, vir de me optime meritus, per duos annos eruditus sum. Gymnasii cursu Glogaviae rite peracto maturitatis testimonio munitus autumno a. h. s. LXXVII hanc almam matrem Viadrinam petii studiis operam daturus philologicis. Quibus cum per septem semestria incubuissem, angustiis coactus praeceptoris domestici munere functus sum in mediae Silesiae vico quodam per duo semestria. Deinde ad studia intermissa redii. Docentes audivi vv. ill. Bobertag, Dilthey, Dove, Freudenthal, Hertz, Kaibel, Ludwich, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Weber. Seminarii philologici sodalis fui per tria semestria vv. dd. Hertz et Reifferscheid rectoribus. Hic non omittam haud parvi fuisse momenti ad studium litterarum et incendendum et augendum societatis philologae, quae vocatur, exercitationes, quibus per totum fere studiorum meorum tempus interfui.

Praeceptoribus omnibus, praecipue Martino Hertz, Augusto Reifferscheid, Augusto Rossbach gratias ago quam maximas eorumque memoriam me pio gratoque animo prosecuturum polliceor.

Summas denique gratias ago Hermanno Schmidt, regiminis supremi consiliario, viro et doctissimo et humanissimo, qui per totum studiorum meorum tempus tam singulari me devinxit benevolentia, ut nihil amplius cupiam, quam ut talis viri beneficiis non plane indignus videar.

Sentententiae controversae.

I. Tac. dial. de orat. cp. 7 legas: „tum habere, quod, si non in volgi ore oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit“ etc. (dicit enim Aper „gloriam“, de qua postea verba facit).

II. Ibid. cp. 11 legendum censeo: „Nam statum meum usque ad securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia“ etc. (cf. Tac. ann. XIV, 15, 26, 42).

III. Ibid. cp. 16 haec genuina lectio videtur: „si ad naturam saeculorum ac recessum immensi huius aevi“ (scl. referas) etc.

IV. Ibid. cp. 28 post verba: „non inopia“ lacunam esse statuendam ac vocabulum: „indolis“ excidisse conicio.

---

* In p. 4 v. 13 scribendum erat: pronominibus οἷος et ὅς etc.